Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Christoph Pfaff

Sylloge Quæstionum Theologicarum Denuo Tritiorum

Editio Tertia, Prioribus auctior & emendatior. Cum gemino Indice, Tubingæ: Literis & Impensis Hiobi Franckii, MDCCX.

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854354744

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854354744/phys_0001
DFG

384 a.B.
48.b.8.
17.
Fa_1092 (17.)

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1854354744/phys_0002
DFG

SYLLOGE QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM DENUO TRITIORUM,

à

IO. CHRISTOPHORO PFAFFIO,
S. S. Theol. Doct. & Professore Tubingensi.

CONCINNATA.



EDITIO TERTIA,
Prioribus auctior & emendatior.
Cum gemino Indice.

TUBINGÆ,
Literis & Impensis HIOBI FRANCKII.
Anno M DCC X.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854354744/phys_0005
DFG



PROOEMIUM.

NUlla capitalior peſtis eſt quàm præſertim in ſacris ἰδιογνωμοσύνη, morbus ſacer Heraclito dicta, pridemque à Paulo proſcripta, Rom. XI. 25. XII. 16. ἰδιοκέφαλοι enim, qui ſibi ſapiunt ſoli, quicquid probatur aliis, damnantes, longè alia, & præſertim cerebri non niſi ſui abortus adoptari prætendunt. Scripturam verò, ſi obvertas, ita torquent, ut aliud quaſi loqui cogant quàm ſentit, omniaque quæ ex fonte illo legitime derivas, ab internâ demum convictione ſuſpendunt. Nec Sacroſanctis fidei Myſteriis parcunt, ſed

illa ad humanæ rationis calculum revocant, ingeniique decempedâ menſi anguſtis judicii ſui finibus circumſcribunt; Deinde ut noſtratis etiam Eccleſiæ, quâ non eſt cœtus ſanctior alter, cadat autoritas, pientiſſimæ Matri mille affingunt rugas, ejusque Miniſterio & verbum DEI abdicunt & Sacramenta, & claves regni cœlorum, & quid non? Denique in ipſâ quoque Eccleſiæ ſepimenta graſſantur, ſymbola ſcil. Ordinationes, curamque Magiſtratûs civilis eccleſiaſticam, & nequid novis auſibus deſit, illos, Gibeonitarum ad inſtar, attritis Vetuſtatis penulis videas palliari. Quibus omnibus ita tentatis, ruptisque & ὀρθοδοξίας & ἐυταξίας repagulis, Libertiniſmo, Donatiſmo, Anabaptiſmo, hæreſibuspue omnibus, quin & confuſioni plusquam Babelicæ, cujus noſtram hactenus Eccleſiam iniquè arguebant, novam vel tandem parari viam, cœcus ſit, qui non videt. Unde cordati ſe Theologi hucusque oppoſuerunt,

ſed

sed ab iis, qui aliàs nil nisi dilectionis Christianæ flagrantiam urgent, duriùs exceptisunt. Evangelii tamen nec tædeat, nec pudeat. Id itaque, quod ultrò citroque disputatur, compendisacturi, ad Multorum petitum in timore Domini nostrum quoque addemus judicium. Spiritus veritatis atque pacis pio intentui affulgeat atque benedicat!

QUÆSTIO PRIMA.

Libri nostri symbolici an divini sint, & norma religionis?

Confessores dogmata fidei non cuderunt nova, sed tantùm latentia in scripturis canonicis κρυφίλια per justæ interpretationis media prompserunt, qualia per legitimas inde consequentias eruta materialiter Scriptura ab ipso Christo dicuntur, Matth. XXIII. 29. 30. 31. 32. Nec enim id solum ad scripturam canonicam pertinet, quod litera ipsa & verba proposita immediatè indicant, sed etiam, quod ex verbis propositis immediatè, ut rivus è fonte fluit, ob homogeneas

scripturæ divitias. Nec Verbum Dei in sacri tantùm codicis contextu normandi facultatem habet, sed ubivis, adeoque & in symbolis. Hinc L. L. symbolicos humanâ quidem industriâ conscriptos, quòd eos Spiritus S. si non ἐλλάμψει immediatâ, ἐμμέσως tamen, mediante verbo suo & assistentiâ ordinariâ electis suis organis adspiravit, scripta divina magis quàm humana appellamus, cùm nec vocationem ad Ministerium, si peculiaria Divini nutûs signa appareant, humanam, sed divinam vocemus, pro principio tamen normâve ipsius fidei non obtrudimus illos, nisi materialiter, quâ contentum verbum scil. Divinum, quocum eos id idem esse diximus, sed Ecclesiæ nostratis tesseram, sepimentum veritatis, cingulum unitatis, vexillum concordiæ, Confessionis ac doctrinæ lapidem lydium mediumque ἀλαηθείσεως, 1. Corinth. XIV. 29. commendatæ esse volumus. Nec obstat I. quòd ipsa Scriptura S. sit doctrinæ norma ac principium, nam solis quoque motus norma temporis & horarum est, nihilominus & horologia commodè adhibentur, sic L. L. quoque Symbolici, utut ipsâ Scripturâ S. non præstent, horum tamen temporum controversiis specialiùs sunt accommodati. Nec II. quòd Libb. symbolicis Apostoli virique θεόπνευστοι non habuerunt opus, illi enim nec linguarum studio egebant, quod hodiè tamen necessarium. Nec III. quòd Libb. symbolici variis passim limitationibus tutandi sunt, id enim per se non fit, sed ob Adversarios, propter quos ipsa etiam Scriptura subinde limitanda venit. Arius certè

certè omnia Scripturæ loca ſpeciosè eluſit, usque dum vox ὁμοσσία aſſumpta fuit in limitationem, quâ Hæreſiarchæ fuci apertiùs detergebantur. *vide Chemn. L. L. P. I. f. m. 43.* Nec IV. quòd L. L. Symbolici usque fuerunt aucti, multiplicatis enim erroribus multiplicandi quoque obices ſunt, uti accreſcentibus delictis augentur quoque leges, quæ actionum tamen moralium normaeſſe non deſinunt. Ut taceam ipſum codicem ſacrum ſua cepiſſe incrementa. Nec V. ſequitur: Paries intergerinus legis ceremonialis, qui Judæos à gentibus diſtinxerat, ſublatus eſt, Eph. II. 14. E. nec heterodoxi obſtinati ab orthodoxis ampliùs diſcernendi ſunt, contra 1. Tim. VI. 5. II. Jo. 10. Nec obſtat VI. hos libros ἀπ' ἀρχῆς hoc fine non fuiſſe ſcriptos. Dantur enim fines quoque acceſſorii, *vide Gen. IX. 13. leſ II. 4. I. Corinth. VII. 2.* ſic compendium Hafenrefferi in typum doctrinæ quâ juventus & Suecica imbuitur, audias adoptatum, quod beato tamen Autori in mentem nunquam venerat. Nec VII. laqueus conſcientiis ita injicitur. Si quis enim in Conſcientiâ ſeſe aliter convictum putat, illi integrum eſt atque liberum profiteri. Nec jurans jurat, ſe confeſſionem illam, ſive conformis ſacris literis ſit ſin minùs, pro orthodoxâ habere, ſed ſubſcriptione teſtatur tantùm, quòd eam in in conſcientiâ pro orthodoxâ habeat.

QUÆSTIO II.

An in libris nostris Symbolicis appareant errores?

NUlli conspicuntur. Non I. Dogmatici, fatente ipso Spenero in der Ubereinstimmung. Artic. V. prælim. th. 5. §. 5. **Es bleibt auch freylich dabey/ daß GOtt die** Autores **derselben nur gnädig bewahret hat/ daß sie in der Lehre nicht gefehlet/ sondern dieselbe dem Göttlichen Wort gemäß auffgesetzet/ und bezeuget haben.** Nam p. 15 supposititii Augustini libri Hypognosticῶν allegantur κατ' ἄνθρωπον tantùm, quòd à Pontificiis etiam ipsis, Stapletono pro L. A. p. 296. & à Bellarmino pro exsufflatione in Baptismo L. 1. d. Bapt. c. 25. citantur. Etsi etiam p. 117. & 336. *novitatis* ac *renovationis* voces laxè usurpentur, ut & conversionem & justificationem involvunt, quo quidem sensu & 2. Cor. V. 17. Ebr. V. 6. occurrunt, alibi tamen, pag. sc. 666. & 696. ejusmodi vocabula, e. g. *vivificationis*, *regenerationis*, *justificationis*, *renovationis*, *sanctificationis*, &c. etiam strictiùs recurrunt, eoque ipso satis accuratè à se invicem distinguuntur. Pag. 136 vita æterna vocatur *merces*, sed eo sensu, quo & à Christo, Matth. V, 12. i. e. gratuita. Et p. 137. legitur: *quòd bona opera mereantur*, sed mereri itidem impropriè, ut passim à Cypriano, Ambrosio ac Augustino,

gustino, capitur ibi pro eo, quod est ex fide aliquid DEO gratum præstare & remunerationem gratuitam consequi ex promisso, 1. Tim. IV. 8. Nodum certè in scirpo quærunt, contradictiones se p. 155. aucupari persuasi, ubi Articulus VII.: *Quòd sacramenta sint efficacia, etsi per malos* in vitâ *Ministros tractentur, qui Ministri funguntur vice Christi, non repræsentant suam personam, juxta istud*: *Qui vos audit*, Matth. XXVIII. 19. Gal. I. 8. *Me audit*. E contrario *Impii Doctores* in Doctrinâ sc. *deserendi sunt, quia hi jam non funguntur personâ Christi, sed sunt AntiChristi. Et Christus ait*: *Cavete* non assentiendo *à Pseudo-Prophetis* mendacia sua prædicantibus, &c. Porrò nec p. 157. Bulgarius pro transsubstantiatione, sed reali tantùm incœnâ corporis Dominici præsentiâ, nec p. 872. Cyrillus pro redemtione damnatorum ex inferno, sed pro Christi Deitate adducitur. Præterea, pag. 167. *Absolutio* dicitur *Sacramentum* 1. latè tantùm, neutiquam verò propriissimè aut univocè inve rigore, uti p. 202. innuitur: *Si omnes res annumerari sacramentis debent, quæ habent mandatum Dei, & quibus additæ sunt promissiones, cur non addunt orationem?* 2. Non categoricè, sed tantùm hypotheticè, p. 200. *Si sacramenta vocamus ritus* &c. 3. Comparatè tantùm *ad confirmationem, extremamque unctionem, quas non* æquè *habere mandatum Dei. p.* 201. dicitur. Denique *orationem pro mortuis* eucharisticam, Encomiasticam, ut & quietis in pulvere lætæque corporis cum animâ reunionis votivam, non, ut Aërius, Apologia p. 274. prohibet, sed tantùm expiatoriam, satis-

satisfactoriam, meritoriam damnat. Nec II. Exegetici. Quòd enim Zach. I. 12, Angelus introducatur creatus, Apologia p. 224, largitur κατ' ἄνθρωπον tantùm Pontificiis, cùm locum illum pro invocatione sanctorum communiter allegent Bellarmin. L. 8. d. B. S. c. 18. Bailius in Catechh. q. 45. & & Becan. T. V. f. m. 529. Pòst p. 283. *per legem non bonam*, Ez. XX. 25. rectè intelligitur lex DEI, quæ transgressoribus evasit talis per accidens, Rom. VII. 10. II. Corinth. III. 6. Nec p. 313. legitur: ut Angelus significat Apoc. XII. sed *ut Angelus* Apoc. XII. depictus scil. *significat* rugitum puta Anti-Christi, quo de Apoc. XIII. Reliqua, unde unus & alter cepisse offendiculum videtur, novissimè vindicavit Dn. M. Walliser.

QUÆSTIO III.

An in hominem quoque irregenitum notitia verbi ac Mysteriorum spiritualis cadat?

HOmo ψυχικὸς ex se non capit, quæ sunt spiritûs 1 Cor. II. nec caro & sanguis illi revelant Matth. XVI. 17. sed mens sibi relicta mera caligo est 2. Cor. IV. 3. 4. Eph. IV. I. Joh. II. 4. præsertim si gratiæ prævenienti obluctetur, 1. Tim. VI. 4. 5. I. Tim. III. 7. Illa enim Gratia intellectui cœco primùm illucet, Ps. CXIX. 18. Luc. XXIV. 27. 45. Joh. XVI. 13. Act. XVI. 14. II. Cor. IV. 3. nec semper unàcollustrat & voluntatem, sed cordis sanctificatio

tio illuminationis tantùm consequens est, Col. I. 9. 10. separabile, Matth. VII. 22. Luc. XII. 47. Joh. XIII 17. 1.Cor.XIII. 2. 2.Pet.II. 14. 21. Quoties enim qui meliora scit, deteriora tamen sequitur? Nec illum qui adhuc in tenebris est, sanctum deprædicabis; nec hypocritam, quod simulat, nosse negabis, nedum quoties homo labitur moraliter, & resurgit, toties ejus spiritualem quoque notitiam migrare & remigrare affirmabis. Quis nequior Bileamo, qui verbi tamen divini auditor audit illuminatus? Num. XXIV. 4. Quî graviùs peccatur quàm contra contra conscientiam, inque Spiritum S. quorum tamen utrumque scientiam infert. Eb. VI. 4. X. 26. & quidem plenam I. Tim. I. v. 13. Scientiam rerum spiritualium alii quidem irregenito concedunt, sed tantùm naturalem. At ex semine spirituali tam prima herba est, quàm plenum frumentum., Marc. IV. 28. Si verò in irregenitum nulla talis notitia cadit, conversio usque erit impossibilis. Dein *ducem cæcum* ceu caput Medusæ opponunt alii ex Matth. XV. 14. sed Christus ibi intelligit non tantùm irregenitum, sed Pseudoprophetam potiùs veritatis lumine cassum, qui tam doctrinæ typo seducit, quàm vitæ exemplo v. 13. Denique *Mundus* quà talis *non potest* ex viribus nativis *càpere Spiritum veritatis* in habitantem, Joh. XIV. 17. Sin hæc verba absolutè intelligas, Mundus s. indigni nec Christi cœnam capient, *quode videbis infra.*

QUÆSTIO IV.

An convictio interna, quam unus & alter hodiè jactat, principium commune sit & ἀναντίῤῥητον, stringatque quemvis alium?

NE Spiritûs quidem Sancti testimonium eò extendimus citra testimonium Scripturæ S. externum 1. Joh. V. 6. quanto minùs pertingit eò convictio unius & alterius interna, quæ imaginaria sæpiùs atque fallax Scripturisque minùs analoga? *Multi Spiritum S. jactant*, inquit Chrysostomus, *sed qui propria loquuntur, falsò illum pratendunt, ut Christus non de seipso loqui testabatur, quia ex lege loquebatur & prophetis: ita siquid præter Exangelium sub titulo Spiritûs obtruditur, ne credamus, quia sicut Christus legis & prophetarum impletio est, ita Spiritus Evangelii* d. S. & ador. Spir T. III. f. m. 589. Si jactare sufficit, vicit & pseudopropheta. 1. Reg. XXII. 24. Si rem conficit obstinata præsumptio, triumphabunt Athei, Judæi, Sagæ, aliique suis præjudiciis benè multi, quos falsum tamen imò Diaboli fascinum undique decipit. *Spirituali fascino* scribit Lutherus, *non sensus sed mentes hominum Serpens ille antiquus capit & tollit falsis & impiis opinionibus, quas hoc modo capti pro veris & piis apprehendunt. Quòd autem hoc præstare possit, satis ostendit hodie in fanaticis hominibus, Anabaptistis & Spiritibus in Sacramentum corporis*

& sanguinis Christi blasphemis. Horum mentes suo ludibrio ita fascinavit, ut mendacia errores & horribiles tenebras pro certissimâ veritate & clarissimâ luce amplectantur. Nec ab his suis somniis patiuntur se nullis monitis aut scripturis abduci, qui persuasissimi sunt, se solos sapere & piè sentire de rebus sacris, alios omnes cæcutire. Diabolus sic dementat corda hominum, ut jurent sua vanissima & impurissima somnia esse certissimam veritatem. Hoc modo fascinavit nostro tempore Munzerum. & paulò pòst: *Et certè hâc suâ arte dementat hodie, ut dixi fanatizos Spiritus, in his regnat, ac tam inflexiles ac duros facit, ut nulla incus tam dura esse possit. Doceri non patiuntur, nullam rationem audiunt, scripturam non admittunt, sed tantùm soliciti sunt, quomodo fictis & ementitis è capite suo glossis, adductos contra se scripturæ locos eludant ac somnia sua in Scripturam invecta defendant. Quod manifestum signum est, eos esse captos fascino diaboli.* & iterum post pauca. *Tanta est efficacia illusionis Satanæ in illis, qui ita delusi sunt, ut jactent, se certissimam veritatem habere, tantum abest, ut fateantur se errare. Et ut maximè obruamus & convincamus quosdam præsertim sectarum autores scripturis. tamen nihil efficimus, quia statim in promtu habent suas glossas, quibus Scripturas eludunt. Itaque monitis nostris non emendantur sed plus indurescunt. Nunquam autem credidissem, nisi hodiè experimentis hoc discerem, tantam esse potentiam Diaboli, quòd posset facere mendacium tam verisimile.* Hactenus Megalander noster Lutherus Tom. IV. f. m. 64. Festivè tamen ejus-

modi homines, qui convictionem ſuam ceu Meduſæ caput obvertunt, excipit Philippus Marnixius Aldegondiæ Dominus: *Quùm illi nos velint convincere ſuo Spiritu*, inquiens, *noſter quidni æquè valeat adverſus ipſos, certiſſimè teſtans & clamans, omnes illorum enthuſiaſmos falſos, vanos atque improbos eſſe. Quòd dicunt ſuum verum Spiritum eſſe non ita noſtrum, ridiculum eſt, præſertim ubi genuinum Spiritûs judicem & probam tollunt, quæ eſt Scriptura Sancta, & nudâ ipſorum aſſeveratione nos non magis tenemur, quàm vel ipſi noſtrâ, aut utrique aliorum, & ipſorum quidem Spiritus tot ineptis & perverſis nefandisque effectis ſatis ſeipſum convincit.* v. Hornbecium in Summ. Controverſ. p. m. 383.

QUÆSTIO V.

An Studia in ſacris impedimento ſint, ideoque exſudanda?

VEritas una & ſimplex eſt, nec ullibi eruditio carpitur, ſed ceu Dei donum potiùs commendatur, quòd in sacris nec Juſtino, nec Tertuliano, nec Clementi Alexandrino, nec Baſilio, nec Hieronymo, nec Auguſt. fuit impedimento, ne dum Moſi, Act. VII. 22. Salomoni, Coh. I. 13. 18. Danieli c. I. 17. aut Paulo, Act. XXVI. 24. qui Poëtarum dicta ceu Ægypti ſpolia ſanctificans, in uſus ſacros convertit, Act. XVII. 28. 1. Cor. XV. 33. Tit. I. 12.

Tot

Tot inde Scholæ, Alexandrina quippe Pantæni, Origenis, Clementis Alexandr. Romana Juſtini Martyris, & aliæ in hunc usque diem fuerunt apertæ, quòd Spiritûs Sancti officinæ ſunt, ex quibus Eccleſia militans ſua contra hoſtes arma capit ac ſubſidia, unde & ſuo tempore Julianus multas iterum clauſit. Quid enim neceſſarium magis quàm linguarum Studium, ſi fontes ſitis, ſin Strophas adverſariorum deprehendi oportet, quid ſobriâ utilius philoſophiâ? *Etſi ipſa ſibi ſufficit, nec opis alienæ eget doctrina Salvatoris, cum ſit potentia & ſapientia ipſius DEI*, inquit Clemens Alex L. I. Strom. *tamen Græcanica ſi acceſſit, non quidem validiorem facit veritatem, ſed ſophiſticos inſultus ab eâ amolitur, & inſidias omnes avertens ſepes & lorica eſt Dominicæ vineæ.* Nec magis fratribus ignorantiæ Schekius noſter favit, qui *in De dic. contr. Antitrin.* *Verè hoc mihi dicturus videor, niſi accuratiùs homines incipiant philoſophari, futurum, ut nullus ſectarum, nullus errorum futurus ſit finis, quandoquidem hâc ignoratione accidat, ut neque accipere legitimè, neque reddere rationes Diſputatores imperiti valeant.* enimverò ille δοκησισοφῶν ex Jer. XXIII. 28. paralogiſmus, quode infra, non niſi ex Logicæ neglectu enatus eſt. Tot diſciplinis quidem, curis, Scholis, literarumque ſtudiis præparati non fuerant Apoſtoli, conf. Matth. X. 19. Num verò omnes Apoſtoli? 1. Cor. XII. 29. Quod ipſis infuſum fuerat immediatè, hoc longo nobis uſu ac exercitio demùm eſt acquirendum, conf. Syr. XXXIX. 1. 2. 3. 9. II. Tim. III. 15. 16. Etſi

etiam unus alterve præco tam exercitatos in scripturis sensus habeat, ut ex bono cordis sui thesauro vetera atque nova ex tempore promere consueverit, meditationem tamen, scripturæ & scrutinium Joh. V. 39. & orthotomia 2. Tim. II. 5. important in plerisque. Uti verò luscinia nunquam suus deest cantus, sic novatoribus quoque semper est quod ogganniant, studiis præsertim Academicis opponunt locum Coll. II. 8. ubi verò Apostolus invehitur in *philosophiam* non in abstracto, ut in Christianorum Scholis defecata traditur, sed in concreto, Græcorum, & in *inanem fallaciam* Judæorum *secundùm traditionem hominum* (Matth. XV. 9.) *& elementa* legalium ceremoniarum & umbrarum egena Gal. IV. 9. *vide sis H. Muhlii de loco illo Paulino συζήτησιν epistolicam, maximè verò. D. Rechenbergii Dissert. de Eruditâ pietate & Hæreticorum Patriarchis Philosophis. Adde & Dorschei parall. Monastic. & Academ.*

QUÆSTIO VI.

An Baptismus aquæ sit efficax ac necessarius?

NEcessitatem præcepti probamus ex Matth. XXVIII. 19. medii autem, eoque ipso & efficaciam ex Joh. III. 5: *Nisi quis renatus sit ex aquâ & spiritu, regnum cœlorum intrare nequit.* Quàm verè homo ex Spiritu renascitur, tam verè regeneratur & ex aquâ (verâ scil. ac naturali, qualis in

Ænon

Ænon prope Salem. vers. 23. (nisi geminum eidem particulæ ἐξ sensum affingere velis, nec conjunctio ΕΙ ἐξ ὑδατος καὶ πνευματος exegetica est, aliàs ἐπεξήγησις foret absurda: *ex spiritu & spiritu* sed copulativa tantùm distinctarum adque eundem regenerationis effectum ordinatarum ὑδροβαπτισμῶ partium, qui inde (non nudum signum sed) lavacrum dicitur regenerationis, Tit. III. 5. quin & aquæ Eph. V. 26. uti e. gr. & ille Johannæus fuit efficax ad tum pœnitentiam, tum peccatorum remissionem, Luc. III. 3. Nec iisantis regenerationum ab ipso ita aquæ baptismo pendulam ἀπιστία distinere potest sive Baptistæ sive Patrinorum, insons aliàs nequitiam lueret alterius. Argumento palmario, quod contra ὑδροβαπτισμῶ efficaciam Adversarii ita informant: *Nullus renatus peccat, omnis baptizatus peccat, ergò nullus baptizatus est renatus*; probati nimium non est mirum, quod quatuor abundat terminis. Majoris enim prædicatum non nisi sub hâc limitatione procedit: *nullus renatus peccat quâ talis*; quæ restrictio prædicato si addatur & Minoris: *Omnis baptizatus peccat quà talis*; tota propositio evadit falsa meritòque negatur. *Si renascereturquis ex flaminis baptismo*, sic porrò novelli instant Sociniani *Christus ipse fuisset regenitus, nec ille baptismo flaminis baptismum flaminis superaddidisset*, Matth. III. 11. Verùm baptismus flaminis vitam spiritualem non contulit, sed chatismata tantùm extraordinaria Act. I. 5. XI. 16. queis pridem renati demùm tingebantur, Act. II. 3. 4. Imò ipse Christus tingebatur.

batur & Spinitu S. qui aliàs regenerat, nec tamen ſanctum ſanctorum inde regenitum dicent, cum ſubjectum recipiat non niſi per modum receptivitatis ſuæ. Denique: N. V. C. *Paulus ad baptizandum non fuit miſſus* 1. Cor. I. 17. *E. non eſt opus baptiſmo aquæ, præſertim cùm Chriſtus ipſe aqua ſit vitæ.* At Chriſtus & Agnus Dei eſt occiſus ab origine mundi: E. nunquam opus fuit Agno Paſchali? Pariter panis vitæ eſt, Joh. VI. 35. 48. & tamen panis in cœnâ ſ. eſt neceſſarius. Nec Paulus & Criſpum & Cajum, & Stephanæ familiam baptizavit planè ἄκλητος, utut ad baptizandum miſſus non fuerit πρώτως, ac ad evangelizandum.

QUÆSTIO VII.

An Baptiſmus ad infantes quoque ſpectet!

Κατὰ τὸ ῥητὸν quidem in ſcripturis ſpeciale pædobaptiſmi nec præceptum habetur nec exemplum. At quid tum? Plura enim facta ſunt, quàm ſcripta Joh. XX. 30. Circumcidiſſe legitur in genere & Abraham omnem familiæ ſuæ maſculum, Genes. XVII. 23. & Joſua V. 3. Omnes in deſerto natos, quis infantes inde, quòd neutrubi expreſſa ipſorum fit mentio, excipiet? Nec ſpeciale in Codice ſacro præceptum aut exemplum de aniculârum occurrit baptiſmo, quem tamen non negabis.

Ita

Ita & pro Infantum baptismo κατὰ διάνοιαν argumenta sufficiunt generalia: **Institutionis universalitas**, Matth. XXVIII. 29. 20. Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη βαπτίζοντες αὐτὰς, adeoque & infantes, διδάσκοντες αὐτὰς, quæ singula verba mera forent ἀδολεσχία, si baptizare idem esset ac docere, uti vulgò excipiunt Sociniani, gratisque dicunt & alii, quòd institutio h. l. baptismum antecedat, adeoque non nisi in præceptis DEI priùs institutum baptizari demùm posse, sed τὸ βαπτίζειν potiùs τῷ διδάσκειν præmitti, textum inspicienti originalem patebit. Solum antecedit μαθητεύειν, quod propriè est discipulos facere, conf. Matth. XXVII. 57. cum Johann. IV. 1. Actor. XIV. 21. i. e. Christianos, Actor. XI. 26. quod fit tàm per βαπτίζειν, quàm per διδάσκειν, quæ duo sunt τῷ μαθητεύειν, seu species, seu media, s. gradus. Nam per baptismum & infantes evadunt Christi Discipuli, s. Christiani. Adulti ante initiationis Sacramentum docendi quidem sunt, ut Abraham, reliqui non item, ut Isaac, Gen. XXI. v. 4.

II. Universalis necessitas. Quàm latè enim patet originale peccatum, tàm latè patet quoque regenerationis remedium, cùm Joh. III. 5. Propositio Christi sit universalis: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non potest intrare Regnum DEI. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Unde argumentamur: Quicunque sunt caro de carne, iis regeneratio ex aquâ & Spiritu est necessaria. A. omnes

quoque infantes. E. Sanctus quidem Sanctorum, quòd illo Sacramento non indiguit; ſed bono tantùm noſtro id ſuſcepit, in annum ætatis trigeſimum differre ſine periculo potuit; ſed noſtri, qui in peccatis concepti ſumus atque nati, alia eſt ratio. Ut taceam Baptiſmi Sacramentum tempore Chriſti adhuc Infantis nondum fuiſſe inſtitutum. III. Circumciſionis Paritas. Si enim infantes capaces Circumciſionis, cur incapaces ſint Baptiſmi circumciſioni ſurrogati? Coloſſ. II. 11. 12. Nec gratia DEI imminuta eſt aut reſtricta in Nov. Teſtam. ſed potiùs ampliata. IV. Promiſſionis fœderalis communitas, quæ uti in Vet. Teſtam. infantes involvit, Geneſ. XVII. 7. 9. 12. ita ad eosdem quoque in Novo Teſtam. à Petro extenditur. Actor. II. 38. 39. *Reſipiſcite*, dicente, *& baptizetur unusquisque veſtrûm. Vobis enim facta eſt promiſſio*, καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν, i. e. infantibus quoque, nam τέκνον vox generalis eſt, notatque partum quemvis & modò genitum, Actor. XXI. v. 21. Ap. XII. 4. Nec Pædobaptiſmo vocum ordo: *Reſipiſcite ac baptizetur unusquisque*; obſtat, ac ſinemo niſi priùs pœnitens demùm baptizari queat, viciſſim enim *baptizans & prædicans*, Marc. I. 4. Johannes legitur. V. Infantum qualitas, pars enim Eccleſiæ ſunt, quam certè integram ac totam Chriſtus lavacro aquæ vult ſanctificatam, Eph. V. 26. quin & ipſa παιδία atque βρέφη (quæ vocabula

bula infantes passim tenellos notant ac plerumque adhuc lactentes Luc. I. 41. 44. II. 12. 16. Actor. VII. 19. 1. Petr. II. 2.) invitavit, ulnisque excepit, ipsorum esse Regnum DEI publicè attestatus, Matth XVIIII. 2. XIX. 14; Marc. X. 15. 16. Luc. XVIII. 15. 16. Quis itaque Sacramentum initiationis, quo via ad Christum inque Regnum DEI paratur, infantibus deneget? locis citatis quidem de illis sermo est parvulis, in quos cadit scandulum, non tamen actuale, rationis usum supponens; sed tantùm potentiale, cum malefacta alicujus ad excitandum scandalum in se satis quidem apta essent, alter tamen vel ex naturæ perfectione, ut Christus, Matth. XVI. v. 23. vel ex ætatis teneritudine, ut talis infans, actu non movetur. VI. Cana Antiquitas. Pædobaptismus enim in seculo non demùm tertio invaluit; sed jam Apostolorum ævo integræ familiæ. E. & partes illarum integrales, infantes sc. tingebantur, Act. XVI. 15. 33. XVIII. 8. 1. Cor. 1. 16. Nec Baptismum infantum ab Apostolis fuisse traditum, antiquissimi P. P. diffitentur, Dionys. I. de Eccl. c. ult. & Origines in Rom. VI. lib. V. V. T. II. f. m. 543. sed jam Seculo secundo *per Christum renasci infantes ac parvulos* Irenæus apertè asseruit, Lib. II. adv. Hær. ep. 29. f. m. 106. Qui frigidam hodiè Anabaptistis suffundunt, duo opponunt, ἐπερώτημα bonæ conscientiæ non cadat in tantillam ætatem, nec ullus Pædobaptismi effectus ostendi possit; sed Æthiopem lavant. Præcipuè enim in hâc ætate, quòd

obicem malitiosum haud ponit, effectus sunt Indubii: Regeneratio, Joh. III. 5. Tit. III. 5. Christi induitio, Gal. III. 27. emundatio, Ephes. V. 26. salvatio, Marc. XVI. 16. Joh. III. 5. Quod verò per organa nondum disposita se exercere nequeunt, inde tamen negandi non sunt, nisi illi & ipsam negare fidem velis, contra Matth. XVIII. 6. quod effectus ejus sensus æquè non incurrunt.

QUÆSTIO VIII.

Usus S. Cœnæ sitne ritus tantùm indifferens, qui liberè negligi queat, an Sacramentum Nov. Test. necessarium?

NEcessitates non tantùm præcepti ex tot imperativis: *Accipite, edite, bibite, hoc facite*, patet; sed & medii necessitas colligitur inde, quod hoc epulo fides nutrienda, inque tot tentationibus usque corroboranda, peccatorum remissio obsignanda, Domini memoria recolenda, fideliumq; communio celebranda est, Matth. XXVI. 26. 27. 28. 1. Corinth. X. 16, 17, 21. XI. 24, 25, 26. Necessitas verò coactionis locum hîc planè non habet. *Neminem* enim nedùm invitum, inve fide dissentientem *cogimus*, qui librorum nostrorum symbolicorum tenor est, p. m. 562. *aut violenter* ad synaxin nostram *impellimus*, cùm sanctum obtrudere canibus nefas, DEOque cordi sit populus non nisi spontaneus, Psal. LI. 12. LIV.

12. LIV. 8. CX. 3. Matth. VII. 6. Nec illud *Compelle*, Luc. XIV. 23. violentiam physicam infert aut coactionem civilem, 2. Corinth. X. 4. sed spiritualem tantùm πειθανάγκην vocatoris, qui invitatis nec manus. nec vincula intulisse; sed varia tantùm argumenta proposuisse legitur, Vs. 17, 21, 22, 24. quibus omnibus, qui nondum moventur, nec jussum Christi: *Hoc facite*; audiunt, nedùm faciunt, Joh. XIII. 17. Jac. I. 23. sed Corpus ejus, sanguinemque contumaciss imè respuunt, oves illius non sunt, Johan. VIII. 31. X. 27. sed fidelium consortio indigni reputantur. Quanta averruncare offendicula totius Ecclesiæ interest, & antequam pars sincera trahatur, totumve ovile corrumpatur, ἀποκόπτειν putrida membra & scabiosa depellere. Gal. V. 12. Quod ob ipsum quoque S. Eucharistiæ despectum Donatistis Augustinus denunciavit *L. 2. ad Gaudent. cap. 1. Ne correctionem impediatis aliorum, in exilium mittemini, T. VII. f. m. 336. v. Luth. T. V. Jen. f. m. 196.*

QUÆSTIO IX.

An Ecclesiis A. C. cœna sit vera?

UTique, apud Nos enim *verbum* institutionis in genuino sensu *accedit ad elementum* & panis & vini, *& fit Sacramentum*, ut nihil quod ad ejus spectat essentiam, jure desiderati queat. Nec memoriam mortis Domini negligimus, ut calumniantur, nec hospitum abusu noxisque sacramentum evertitur,

nisi verbi quoque, quin & cœnæ statim primæ veritatem reddere dubiam velis, cùm nulli non visibili cœtui sua adhuc Zizania sint. Denique nec ἀστοκλασίας defectus objici potest. Si enim illa pro distributione sumitur, ut passim, Jes. LVIII. 7. coll. Ezech. XVIII. 7. Jerem. XVI. 7. Thren. IV. 4. Matth. XIV. 19. XV. v. 36. Act. XXVII. 35. inter nos non exolevit quatenus verò distributioni προσδιατιθῶς inservit, Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19. Augustinus inde *præparatio distributionis* dicta, epist. LIX. T. II. *p. m. 300.* pro temporis circumstantiâ est indifferens, sive enim in medio demùm S. Cœnæ actu suscipiatur, sin ante, perinde est, cùm contra institutionem sit neutrum, uti & vini effusio, quæ fractioni panis respondet, in se æquè necessaria est, ratione Ministri verò atque temporis indifferens, cùm à quo & quando, antene Cœnam primam, an post cœptam demùm consecrationem fuerit peracta, ex historiâ Institutionis neutiquam liqueat.

QUÆSTIO X.

An administratio cœnæ permittenda sit & Laicis?

EO, sed in casu necessitatis tantùm, inclinasse videntur Tilemannus Heshusius & D. Joh. Gallus, apud Bidenbachium nostrum Decad. III. Consil. 5. p. 235. Lutherus autem constanter improbavit, præsertim T. VI. Jen. f. 339. in epistolâ ad past. ceu rem voca-

vocatione, exemplis, consensuque Antiquitatis destitutam, quin potiùs damnatam, prout ex Epistolâ Ignatii ad Trullianos, ex Athanasii Apologiâ contra Arrianos, ex Epiphanio Hæres. LXXIX. & Theodoreto Lib. IV. H. E. c. 12. constat. Casus necessitatis enim tantus non est hic, quantus in Baptismo. Adulti quippe jam in fide salvificâ sunt constituti. Infantes econtra unicum tantùm medium habent, quo fidem haurire ordinariè possunt, initionis quippe sacramentum. Multò minùs extra necessitatis casum Eucharistiam administrandi potestas Laicis competit, uti ipsis tribuunt illam H. Grotius, à Petavio confutatus, & Thomas Tanto, contra quem Anno 1669. Ministrerium Lubecense libellum edidit sub rubricâ: **Christliche Prob der neuen Schwärmerey / da etliche Manns- und Weibs-Personen eigene kleine Zusammenkünffte halten / darinnen nicht allein unberuffne Männer sondern auch Weiber das Heil. Abendmahl austheilen.** Nam in Ecclesiâ, ubi omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fieri decet 1. Cor. XIV. 40. dispensatio hujus Sacramenti non nisi Oeconomis Mysteriorum competit, Cor. IV. 1. solis quippe ordinariis Ecclesiæ Ministris, horum enim est administrare Sacramenta, ut docere verbum, Matth. XXVIII. 19. Nec κοινοπάθησις illa, 1. Cor. X. 16. *Poculum benedictionis cui benedicimus*; laicos involvit. Corinthios enim ubi Apostolus petit, in personâ non primâ sed secundâ alloquitur, totus in eo, ut ipsorum synaxin culpet potiùs, quàm ita probet, versu quippe 21. inquit: *Non potestis poculum Domini bibere & poculum Dæmo-*

Dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum. Porrò, *Annon domos habetis ad edendum?* 1. Cor. XI. 22. *Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis.* v. 26. *Propterea inter vos multi infirmi ſunt.* v. 33. ubi communicantibus præter eſum & potum Apoſtolus nihil certè tribuit nedum in perſonâ pariter ſecundâ ſcripſit: Poculum benedictionis, cui benedicitis. Deindè, quam frequens in his epiſtolis plurali, primæ perſonæ, e gr. *Dei ſumus cooperarii*, 1. Cor. III. 9. *Nos æſtimet homo ut DEI Miniſtros ac œconomos Myſteriorum*, c. IV. 1. confer & 2. ep. III. 1. IV. 7. V. 13. 20. VI. 1. XIII. 9. *Num* ergò *omnes* quoque laici *Doctores*? 1. Cor. XII. 29. Similiter c. l. 23. *prædicamus Chriſtum crucifixum*; ſcribit Paulus, tamen ab illius præconii munere fœminas omnes excipit ipſe c. XII. 28. 29.

QUÆSTIO XI.

An adminiſtrare uni tantùm cœnam in privatis ædibus fas ſit?

CIrcumſtantia loci nihil addit, nihil demit huic ſacramento, quod propter hominem non propter temporis locive circumſtantias novimus inſtitutum. Ordinariè quidem, ubi verbum DEI auditur, i. e. publico conventu ſacram quoque ſynaxin decet celebrari. 1. Cor. XI. 20. 33. Eb. X. 25. In caſu tamen neceſſitatis, ubi communis ordo ceſſat, communio privata nullibi vetatur, locorum differentiâ dudum

dum sublatâ, Matth. XVIII. 20. Joh. IV. 21. Si enim domi decumbentes erigere verbo, si & privatim tingere licet, Act. VIII. 38. 39. XVI. 33. Quidni Clinicis & ἐφόδιον ζωῆς liceat? Ut taceam cœnam in privatis ædibus fuisse & institutam, & pridem celebratam, juxta Canonem XIII. Concil. Nicæn: *Qui recedunt à corpore, ultimo & necessario viatico non defraudentur*, Vetus Ecclesia id ad absentes, apud Justinum Apol. II. f. 179. & ad Serapionem ægrum, apud Eusebium L. VI. E. H. c. 44. f. m. 246. misit. Exuperius apud Hieronymum Epist. ad Rust. T. I. f. m. 48. panem in canistro vimineo, vinum in vitro ad ægros detulit, & Chrysostomus apud Nicephorum L. XII. c. 36. beatè moriturus communionem privatam suscepit. Ob vocem *Synaxeos* autem S. cœnam negare uni & soli, idem est, ac si ob vocem *cœnæ* velles non nisi vesperi communicare. Christus quidem cœnam administravit non tantùm uni & soli Petro, sed discipulis unà omnibus, sanis tamen & valentibus, in communionis exemplum ordinariæ, nobis autem de ægro sermo est in extraordinario necessitis casu.

QUÆSTIO XII.

An corporis & sanguinis Dominici substantiam indigni etiam percipiant?

SI panis benedictus est realis κοινωνία corporis Christi, (1. Cor. X. 16.) gustando eum indigni & hoc participant. Dicuntur quidem etiam idololatræ

v. 20. κοινωνοὶ dæmoniorum, quæ tamen non participant, uti Judas fortè. At in abstracto non vocantur κοινωνία, uti panis corporis, nedum de idolothytis dicitur: Edite, hæc sunt dæmonia; uti de pane benedicto: Edite, hoc est corpus Christi, ut taceam, non edentes sed offerentes idolothyta κοινωνὸς Dæmoniorum nuncupari. Proinde si impii non offerendo sed indignè manducando ac bibendo corporis & sanguinis dominici rei fiunt, hæc ipsos (ad judicium) participasse substantialialiter oportet, 1. Cor. XI. 29. Nec abusus signi tantum infert reatum, indigni aliàs & Mannæ & Agni paschalis comedones rei fuissent corporis Christi. Nec qui Regis diploma discerpit, pictive oculum eruit, ipsius corporis oculive regii reus dicitur, sed læsæ tantùm regiæ Majestatis. Deinde *indignè edendo ac bibendo reum fieri corporis ac sanguinis Christi* plus dicit quàm *sanguinem Testamenti ducere impurum* Eb. X. 29. id objecti præsentiam apertè poscit, hoc non item. Symbola itaque, quæ percipiunt ἄπτοι, non nuda tantùm signa sunt, sed ipsius corporis ac sanguinis Dominici κοινωνία, non certè à communicantium fide sed Christi potiùs instituto pendula, quod hominum ἀπιστία non labefactat, Rom. III. 3. 1. Cor. X. 16. Nec fides hominis ad Sacramenti substantiam sed tantùm ad salutarem ejus usum facit, quod porrò & exemplis constat Corinthiorum illorum, 1. ep. XI. 30. Judæque ipsius, biberunt enim omnes, Marc. XIV. v. 23. adeoque & Judas, quem post cœnam S. adhuc adfuisse Lucas testis est c. XXII. 21. *Christus primum sacramentum Judâ nondum excluso, communiter omnibus*

bus dedit; ſcribit Auguſtinus Ep. CLXII. T. II. f. m. 742. Nec obſtat Matthæum teſtari, buccellam datam ante inſtitutionem cœnæ, c. XXVI. 23. quâ acceptâ ſtatim exiverit, Joh. XIII. 30. Lucas enim ἀνεμβέτως eſt, l. 3. & εὐθέως apud Johannem cum aliquâ morâ, ut & alibi Matth. XXIV. 29. Marc. I. 12. Joh. XIII. v. 32. eſt accipiendum. Etenim cùm Judas exiret, nox fuit, at euchariſtia veſperi celebrata. Si ante hanc ſe ſubduxiſſet, in proditionis, quam tacito ſub pectore volvit, proditorem ipſe abiiſſet. Denique verbis illis 1. Corinth. X. 21. *Non poteſtis poculum Domini bibere & poculum dæmoniorum*; potentia tantùm moris negatur & licentia, (uti & Gen. XXIV. 50. XXXIV. 14. Deut. XVI. 5. XXII. 29. Matth: VI. 20. 2. Corinth. XIII. 8.) Corinthios id jure non potuiſſe. De facto autem, uti Iſrael & Petræ & menſæ dæmoniorum particeps fuit, ad judicium ſuique exitium, Deut. XXXII. 17. ſic Corinthios quoque & de Cœnâ S. & de Idolothytis actu participaſſe, vel hæc ſola Apoſtoli invectiva arguit, 1. Corinth. X. 21. Si inſtes, cœnam S. indignis non eſſe inſtitutam, certè nec oves pro lupis, nec pro canibus panes, nec mella pro fucis in promptu ſunt, quorum tamen ſubſtantiam depaſci ab illis non negabis. Nihil ergò impedit, quò minùs corpus Chriſti & pro reprobis traditum, Rom. XIV. v. 15. 1. Corinth. VIII 11. Ebr. VI. 6. V. 29. 2. Petr. II. v. 1, ab iisdem & accipi queat.

QUÆSTIO XIII.

An justificatio peccatoris in foro divino solâ justitiæ alienæ imputatione absolvatur?

SI non operanti; sed credenti fides (objectiva) imputatur ad justitiam sine operibus, Rom. IV. ℣ſ. 5. 6. isque in Christo invenitur justitiam habens non suam; sed alienam, illam quippe ex fide, quæ ex DEO est, Phil. III. 9. Justificatio peccatoris in foro divino nullis demùm Legis operibus completur; sed solius obedientiæ Christi vicariæ, i. e. justitiæ alienæ imputatione absolvitur. Imò uti Christus factus ὑπὲρ ἡμῶν peccatum, sic nos in ipso justitia 2. Corinth. V. 21. Atqui factus est peccatum non intrinsecè, nec effectivè; sed tantùm imputativè. E. Nam etiam quæ non insunt, imputantur, Num. XVIII. 27. Psal. XL. 13. 16. LXIX. 6. Jesai. LIII. 6. Marc. XV. 28. Luc. XXII. 37. Rom. II. ℣ſ. 26. Philemon. ℣ſ. 18. nec tamen fictè tantùm; sed verè, imputare enim non est tantùm putare; sed reali suo fundamento gaudet, & effectu, e. gr. λογισμὸς justitiæ vicariæ non tantùm gratiâ DEI in Christo JESU suffulcitur, Rom. III. 24. sed efficit quoque, ut peccator inde justus constituatur, denominetúrque Rom. V. 19. Ne dicas: Si justi denominamur, Filiique DEI à justitiâ tantùm imputatâ,

putatâ, viciſſim ab imputatis quoque peccatis Chriſtus ſalutari peccator & filius diaboli poterit. Chryſoſtomus quidem & reliqua Græcorum turba dicere non horruit, Chriſtum redditum fuiſſe peccatorem per imputationem veram atque ſolidam, quâ iniquitates noſtras in ſe recepit fecitque ſuas, Pſal. XXVI. 11. XL. 13. LXIX. 6. Jeſai. LIII. 6. 2 Cor. V. ℣. 21. ob easdem & execratio factus. Galat. III. 13. Abſit tamen, ut impius inde dicatur, filiusve diaboli, cùm ipſi nec inhæreat peccatum, nec fecerit ipſe, Diaboli filius è contrario audiat, qui ex perverſâ malitiâ deſtinatoque conſilio contra conſcientiam peccat, unde ne pii quidem, etſi habeant peccatum, filii diaboli dicendi ſunt. Accedit immanis quoque nos inter Chriſtumque differentia, nos verè juſti DEique filii jure ſalutamur, quòd juſtitiâ gaudemus perpetuâ, Chriſto autem peccata noſtra tempore tantùm exiguo incubuerunt, unde nequit æquè dici filius diaboli, aut iræ, quæ itidem non manſit; ſed tantùm tranſiit ſuper ipſum. Denique inhæret quidem Juſtificato quædam quoque juſtitia, quæ tamen nec à ſolo Filio; ſed & à Patre & à Spiritu Sancto dependet, nec perfecta eſt, ex vitio quidem ſubjecti, unde nec juſtitiæ DEI, nec Legi Ejus ex aſſe reſpondet; ſed hominem in foro ſoli declarat vix ſanctum, juſtum verò in foro poli minimè conſtituit, Pſal. CXLIII. 2.

QUÆSTIO XIV.

An Christus non quà extra nos passus, proque nobis mortuus; sed quà nobis per fidem inexistens sit consummatus demùm Salvator, qui peccatores justificat?

CHristus non dividitur, 1. Cor. I. ℣. 13. sed unus numero idemque Mediator est, 1. Tim. II. ℣. 5. & qui foris stat, & qui aperientes iutrat, Ap. III. ℣. 20. Ab ipso tamen extra portam passo, Ebræ. XIII. 1, 2, 13. acquisitio salutis jam pridem τετέλεσται, Joh. XIX. 30. Nec exaltatus ampliùs (nedum in nobis) moritur, Rom. VI. 9. Ebr. IX. 26, 28. In nobis quidem existit, Joh. XV. 28. Rom. VIII. 10. 2. Cor. XIII. 5. Col. I. 27. vivit, Gal. II. 20. formatur, Gal. IV. 19 loquitur 2. Cor. XIII. 3. fructificat, Phil. I. 11. ambulat, 2. Cor. VI. 16. habitat, Joh. XIV. 23. Eph. III. 17. manetque, Johan. VI. v. 56. XV. 4. sed in nobis non nisi justificatis, justificat enim impium, Rom. IV. 5. inhabitat verò non nisi justificatum, Iesa. LIX. 2. ut ità Justificatione peccatoris inhabitatio DEI gratiosa sit posterior, & tamen ne sic quidem plena, vitio subjecti quidem recipientis, in quo peccatum adhuc habitat, Rom. VII. 18, 20. & corpus adhuc est mortuum, Roman. VIII. 10. Quis ex tali itaque existentiâ, quâ Christus est in omnibus nondum omnia, 1. Cor. XV. 28. justitiam tamen omnibus numeris absolutam, inque foro

foro divino validam sibi promittat? Crucifigi quidem Christus adhuc legitur, Ebr. VI. 6. non tamen effectu Rom. VI. 8.9. sed tantùm affectu, non propriè ac physicè; sed tantùm metaphoricè, non in nobis; sed tantùm inter nos, Gal. III. 1. uti ἐν sæpè notat *Inter*, Matth. II. 6. XX. 26. Marc. X. 43. Luc. I. v. 25. 28. Rom. I. 5. 6. XVI. 7. 1. Cor. V. 1. XI. 30. Gal. II. 2. III. 1. *v. Glass. Ph. S. p. 791.* Quin etiam justificatio Legis impletur in nobis quidem imputativè, non tamen effectivè à nobis, Rom. VIII. 3, 4. Imò innuit illam Scriptura per inexistentiam potiùs NOSTRUM IN CHRISTO, quàm Christi in nobis, Jesai. XLV. 24.: *IN DOMINO mihi justitia.* Rom. VIII. 1.: *Nulla condemnatio HIS IN CHRISTO JESU.* Phil. III. 9.: *Ut inveniar IN IPSO non habens justitiam meam, quæ est ex Lege; sed quæ per fidem est Christi justitiam, quæ ex DEO est per fidem.* Col. I. 14.: *IN IPSO habemus redemptionem per sanguinem Ejus.* Maximè verò 2. Cor. V. 12.: *Efficimur justitia IN IPSO*, non quia in nobis peccatum subdomuit, sed *quia pro nobis peccatum factus est*, ad quem locum elegantissimè Augustinus: *Ipse peccatum, & nos justitia, nec nostra; sed DEI, nec IN NOBIS; sed IN IPSO, sicut ipse peccatum non suum; sed nostrum, nec in se; sed in nobis; Enchir. c. XL. T. III. f. 167. & T. X. f. 278. serm. VI. d. verb. Ap. Videte duo: Justitia DEI non nostra, IN IPSO, NON IN NOBIS.* Gemella & Lutherus habet in Johan. XIV. 20.: **Wir müssen dise zwey Stück fassen/ wie wir in Christo/ und Christus in uns ist/ Eins**

geht

geht über sich/ das Andere unter sich. Dann wir müssen zuvor in Ihm seyn / mit all unserm Wesen / Sünd / Tod / Schwachheit / und wissen/ daß wir für GOTT davon gefreyet/ und erlöset/ und seelig gesprochen werden durch disen Christum. Also müssen wir über uns und ausser uns in Ihn schwingen / ja gantz und gar in Ihm verleibt und sein eigen seyn/ als die auf Ihn getaufft und sein H. Sacrament darauf empfangen. Et paulò post: Darnach gehts wieder von oben herab / also / wie ich in Christo bin/ also ist wiederumb Christus in mir/ ich hab mich sein angenommen/ und bin in Ihn gekrochen/ aus der Sünd/ Tod und Teuffels Gewalt getretten / so erzeigt Er sich wieder in mir/ und spricht: Geh hin/ predige/ tröste / tauffe/ diene dem Nächsten / sey gehorsam/ gedultig / ꝛc. Ich will in dir seyn / und alles thun/ was du thust / das will Ich gethan haben. Allein sey getrost/ keck und unverzagt auf Mich/ und sihe / daß du in Mir bleibest / so will Ich gewißlich wieder in dir seyn. Tom. VII. Jenens. f. m. 101. a. b. Subsistunt itaque verba F. C. tanquam Marpesia cautes: *Etsi DEUS Pater, Filius & Spiritus Sanctus, (qui est æterna & essentialis justitia) per fidem in electis, qui per Christum justificati, & cum DEO reconciliati sunt, habitat, (omnes enim verè pii sunt templa DEI Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, à quo etiam ad rectè agendum impelluntur) tamen hæc inhabitatio DEI non est justitia illa fidei, de quâ Paulus agit, eamq; justitiam DEI appellat: propter*

pter quam coram DEO justi pronunciamur. Sed inhabitatio DEI sequitur antecedentem fidei justitiam. Cùm igitur in Ecclesiis nostris apud Theologos A. Conf. extra controversiam positum sit, totam justitiam nostram EXTRA NOS, & extra omnium hominum merita, opera, virtutes, atque dignitatem quærendam, eamq; in solo Domino nostro JESU Christo consistere &c. pag. m. 695.

QUÆSTIO XV.

An renati ad summum perfectionis apicem pertingere in hâc vitâ queant, ut jamjam sint ἀναμάρτητοι?

REnato duo insunt quasi principia, Caro & Spiritus, Gal. V. 16, 17. Homo internus & externus, 2 Cor. IV. 16. vetus & novus, Eph. IV. 22, 24. quorum tanta est diversitas, tanta etiam pugna, ut sanctificati primitias tantùm Spiritûs habere, Roman. VIII. 23. tantumque ex parte cognoscere, 1. Cor. XIII. 9, 10, 11. intelligantur, è contrario pronior usque caro in malum ruat, Jacob. I. ℣. 14. Spirituique semper obluctetur. Gal. V. 16, 17. unde coram DEO nemo insons, Exod. XXXIV. 7. aut purus, Proverb. XX. 9. aut justus, Psal. CXLIII. 2. nedum perfectus, Phil. III. 12, 13. qui nec peccatum habeat, 1. Joh. I. 8. neque peccet actu, 1. Reg. VIII. ℣. 46. In multis enim labimur omnes. Jac. III. 2.

ut omnis noſtra quoque juſtitia panni ad inſtar polluti, Jeſai. LXIV. 6. Hinc juſtiſſimus Judex ſub incredulitate concluſit omnes, Rom. XI. 32. perfectione graduum, quam Lex poſcit, Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37. Gal. III. 17, 21, 22. ſtatui gloriæ reſervatâ, 1. Cor. XIII. 10. Nec interim in ſtatu viæ, in quo Lex neminem reddere perfectum potis eſt, Ebr. VII. ℣ſ. 19. DEUS pro potentiâ agit abſolutâ; ſed mavult ſuam exſerere virtutem ἐν ἀσθενείᾳ. 2. Cor. XII. 9. Quid verò perfectionem minùs dicit, quàm ἀσθένεια, quæ deprecatione & remiſſione potiùs habet opus? Matth. VI. 12. Hinc Lutherus quoque Tom. IV. Witteb. f. 76.: **Im Reich Chriſti iſts mit uns halb Sünd / und halb Heiligkeit / dann was des Glaubens und Chriſti in uns iſt / das iſt gantz rein und vollkommen / als nicht unſer; ſondern Chriſti / welcher durch den Glauben unſer iſt / und in uns lebet und würcket. Aber was noch unſer aigen iſt / das iſt lauter Sünd / doch unter und in dem Chriſto / durch Vergebung der Sünden zugedeckt und vertilgt / dazu täglich durch dieſelbe Gnad des Geiſts getödtet / biß wir gar diſem Leben abſterben.** Ipſe etiam Hieronymus ſcribit: *Hæc hominibus ſola perfectio, ſi imperfectos ſe eſſe noverint. Epiſt. ad Cteſiph. Tom. II. f. m. 25.* Nec diſcrepant illa B. Speneri: **Was aber anlangt die ſo genannte Geſetzliche Vollkommenheit / iſt dieſelbe in diſem Leben / ſo lang namblich das Fleiſch uns noch anklebt / unmöglich zu erraichen / noch kan deſ-**

deſſen ein verſichertes Exempel gezeiget werden; Conſil. Tom. I. p. 139. & Tom. IV. p. 513. Wir ſeynd unſerer Unvollkommenheit gar wohl bewußt/ und weiß ich niemand/ der ſich weiter kommen zu ſeyn einbildete/ als daß wir junge Kinder ſeyn in Chriſto. Jedoch trachten wir nach der Vollkommenheit/ damit wir nicht immer mögen Kinder bleiben: Wie die Schrifft auch pfleget das jenige eine Vollkommenheit zu nennen/ wo wir nunmehr zunemmen in dem Werck des HErrn/ obwohl die höchſte Vollkommenheit/ daß man nicht mehr weiter vollkommen werden könnte/ in jenes Leben verſpahret bleibet. Evadimus quidem perfecti vel tandem; ſed in Chriſto. Col. I. 28. Uti in ipſis etiam ſcripturis perfecti fuiſſe nonnulli leguntur, ad quorum exempla Pelagianis pridem reſponderunt Catholici, ut Gerh. Joh. Voſſius ceu in compendio refert: *Per eam perfectionem intelligi tùm ſinceritatem, ſive verum & non ſimulatum ſtudium obediendi omnibus DEI mandatis, tùm obedientia iſtius actualem impletionem; ſed pro modulo hujus vitæ & comparatè ad alios fideles; non plenam & omnibus numeris abſolutam. Nempe quomodo domus vocatur, quæ etiamnum exſtruitur. Quod fierì triplici poteſt reſpectu. Primùm ratione initi* ζυνεκδοχὴ *partis, &* μετωνυμία *finis. Deinde comparatione ruderum, vel imperfectionis ſtructuræ. Denique ratione promiſſi, ut ſi quis quod ædificio deeſt, hoc de ſuo ſe ſuppleturum recepit. Similiter igitur juſtitiam hujus vitæ perfectam dici cenſent* I. *inchoatè, ſive* κατα συνεκδοχὴν,

initii & desiderii ratione, 2. comparatè, sive κατὰ σύγκρισιν, ratione impiorum & imperfectiorum, 3. evangelicè, sive cum velamento gratiæ, quia omnia facta deputantur, quando quod factum non est, ignoscitur. Quibus addere possumus, quod vulgò non apertè minùs quàm verè dicitur, aliam esse perfectionem partium, aliam graduum. Puer perfectus est priore significatu, non posteriori. Ita Christiani sunt perfecti quatenùs seriò student ambulare, ac reapse ambulant, non in unâ parte, aut certis partibus; sed omnibus præceptis Dominicis, nullam earum partem ab obedientiæ suæ studio separantes: non tamen ita perfecti, ut DEUM summè ament, proximum planè juxta se diligant, pravas cupiditates exscindant radicitùs. in Histor. Pelag. Libr. V. parte I. Anthit. 1. pag. 468. & 469. & sic fanaticos etiam Thrasones confundit B. Arndius: Etliche schwärmen / und sagen / sie seyen schon Vollkommen / und können nicht mehr sündigen / mißbrauchen darzu die H. Schrifft und andere erbauliche Bücher / wie der Sathan / welcher auch GOttes Wort mißbraucht / und sich in einen Engel des Liechts verstellen kan. Die sind Schwärmer und unleidliche Fantasten / welche der Teuffel in disen letzten Zeiten erwecket / die wahre Buß zu verhindern / welche sich durchs gantze Leben eines Christen-Menschen erstrecket biß in den Tod hinein / alsdann ist er gerechtfertiget von der Sünde / wann er nämlich das sündliche Fleisch abgeleget hat. Daher sich nie kein Heiliger Gottes gerühmet / daß er vollkommen sey / und nicht mehr

mehr sündigen könne. --- Ob wir wohl die neue Geburth und die tröstliche Kindschafft Gottes empfangen haben durch den Glauben / so geschicht doch die Erneuerung nicht gäntzlich auf einmahl / sondern der H. Geist reiniget sein Hauß von Tag zu Tag: S. Paulus klagt darüber / daß die Sünd noch in ihm wohne / und nemme ihn offt gefangen: widerstrebe dem Geist seines Gemüths. Rom. 7. und Gal. 5. beschreibet er den Streit deß Geistes und deß Fleisches. Was sagt der wiedergebohrne heilige David: HERR / so du willt Sünde zurechnen / wer wird bestehen? Psal. 130. Und 1. Joh. am 1 So wir sagen / wir haben keine Sünde / so betriegen wir uns selbst / und die Warheit ist nicht in uns. --- **Ein grosse vermessene Sicherheit ist es / sich der Vollkommenheit rühmen / und ohne Sünde seyn wollen /** da doch vor GOTT niemand unschuldig / Exod. 33. --- Daß aber 1. Johannes am 3. spricht: Wer auß GOTT gebohren ist / der thut nicht Sünde / ꝛc. da machet er einen Unterscheid unter Gottes und deß Teuffels Kindern / diſe haben Lust zu allen Sünden / das ist ihr Freud und Kurtzweil / Gottes Kinder aber haben kein Lust zur Sünd; sondern hüten sich / betten darwider / und wann sie auß Schwachheit straucheln / reuet es sie von Hertzen / dann Gottes Saame ist in ihnen / Gottes Wort und Geist der lasst sie nicht in Sünden verharren. *Lib. V. c. 1.* deß wahren Christenthumbs.

QUÆSTIO XVI.

An renatus legem servare, quin & implere queat?

ILla certè neminem reddere perfectum potest, Eb. VII. 19. nedum vivificare, Gal. III. 21. sed jugum est ἀβάστακτον, Act. XV. v. 10. totaque Spiritualis, Rom. VII. 14. qui itaque impleat illam, qui Spiritûs tantùm primitias habet? Rom. VIII. 23. qui Spiritus carnisque luctâ jugiter distrahitur? Gal. V. 17. ut impingat subinde, Jac. III. 2. & quotidianâ peccatorum tùm confessione, tùm remissione habeat opus, Matth. VI. 12. Psal. XXXII. 6. XIX. 6. Rom. VII. 14. 1. Joh. I. 8. Deinde si legis imperio foret possibilis, per ipsam foret Justificatio, quod negatur, Gal. III. 18. 21. Christusque veniisset frustrà, Matth. V. 17. Rom. VIII. 3. 4. Gal. II. 21. III. 11. 13. IV. 4. Justificati quidem τηρεῖν τὰς ἐντολὰς passim leguntur, τηρεῖν autem non notat *servare*; sed per synonymum φυλάττειν, *custodire* exponitur, Matth. XIX. 20. Nec non *qui diligit alterum*, sicut seipsum *legem implevit*, Rom. XIII. 8. sed ubi est is? David quidem, Josias, Assa & Zacharias in præceptis Dei coram ipso perfectè totoque corde ambulasse leguntur, integritatis laude ἀνυπόκριτα inde macti, absoluta tamen ipsis ἀναμαρτησία tribui nequit, quæ quippe à Davidis adulterio, Josiæ bello minùs necessario, pravâ sodalitate Josaphati, & Zachariæ incredulitate, singulorumque morte multum abludit.

Ne-

Negantur quoque *mandata DEI esse gravia*, 1. Joh. V. v. 3. sed justificato, qui spontaneo spiritu actus lege Dei delectatur. Rom. VII. v. 22. VIII. 1, 2. Nam fert onus id leviter, quod portat quisque libenter, ut Jacob. Gen. XXIX. 20. XXXI. 4. & Cicero: *Magnum opus omninò, Brute, conamur, sed nihil difficile amanti puto.* Imò promissis divinis *credenti omnia possibilia*, Marc. IX. 23. beneficia sc. Dei, si enim τὸ πάντα capias absolutè, renatus implere poterit non tantùm legem; sed totum quoq; mundum, poterit creare & quid non? Patiter & Paulus Phil. IV. 13. *Omnia possum.* satiari sc. & esurire, abundare & egere v. 12. si verò *posse hoc* ultra æquanimitatem in utrâque fortunâ extendas, potuisse Apostolum peccatum originale eradicare, factum reddere infectum, Deumque ipsum vincere, concedes. Denique lex non præcipit impossibile ἀπλῶς, sed tantùm καθ' ἡμᾶς, in statu demùm destituto, ob corruptæ tantùm carnis infirmitatem, Rom. VIII. 3. Nihilominùs à servo, etsi non ampliùs solvendo sit, debitum Dominus jure exigit, Matth. XVIII. 25. Luc. XVI. 1. rationem, cur id fiat à Deo, Bernhardus & hanc addit: *Non latuit præceptorem, præcepti pondus hominum excedere vires, sed judicavit utile, ex hoc ipso suæ ipsos insufficientiæ admoneri, ut scirent, sanè ad quem justitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia non prævaricatores homines fecit, sed humiles, & ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram ipso.* In Cant. serm. L. fol. m. 715. a. præsertim confer. Melch. Nicolai Iubar. ver. Sect. II. à p. 51.

à p. 51. usque ad p. 390. & B. Speneri Caput IV. integrum de Justificat. contra Breving.

QUÆTIO XVII.

An pars pœnitentiæ tertia sit nova obedientia, uti Socinianis visum, vel ut hodiè alii malunt, immutatio cordis?

EX verbo Dei de duabus tantùm partibus constat, quod uti *geminum* tantùm terminum, à quo sc. *malum*, & ad quem sc. *bonum* Act. XIV. 15. XX. v. 21. XXVI. 18. innuit, uti etiam *duo* tantùm doctrinæ capita Legem scili. & Evangelium exhibet, Joh. I. 17. ita *duas* tantùm pœnitentiæ partes recenset, aversionem sc. à malo, seu *contritionem*, quæ legis effectus, Jer. XXIII. 29. & conversionem ad bonum, seu *fidem* in Christum, quam parit Evangelium, Marc. I. 15. Unde libri etiam Symbolici primo statim loco non demùm tertio *immutationem* in descriptione conversionis passivæ ponunt s. pœnitentiæ, cujus potiorem quoque partem, fidem quippe, *obedientiam erga Evangelium* vocant, uti bona opera obedientiam erga legem, p. 125. & 675. Evangelium enim *lex fidei*, Rom. III. 27. *Habemus*, inquit Johannes 1. ep. III. 23. *præceptum*, cui non per præstationem operis legalis, sed apprehensionem medii salutaris satisfit, *ut* nimirùm *credamus nomini Filii ejus JEsu Christi*; Credendo itaq; agimus, quod præceptum est, & imperata agendo credimus, unde etiam fides passim ὑπακοὴ πίστεως Rom. I. v. 5.

v. 5. XVI. 26. 2. Cor. X. 5. Eb V. 9. 1. Pet. I. v. 22. & 2. Cor. IX. 13. ὑποταγὴ τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ nuncupatur. *Fides pura puta obedientiâ est*, scribit Lud. d. Dieu in Rom. p. 6. *Cur autem fidei obedientia tribuitur? non tantùm quòd fide obediamus omnibus præceptis DEI, sed quòd ipsa fides in obedientiâ consistat. Non enim rationibus nititur fides, sed loquentis Dei veracitate, autoritate ac jussu, cur credo tres esse in DEO personas, Christum esse θεάνθρωπον, mortem ejus esse expiationem pro peccatis? quia Deus mentiri nescius omniumque Dominus hæc de se Filioque suo testatur ac credere jubet.* Ab evangelicâ hâc obedientiâ, quæ ita ipsa fides est, longè alia interim est legalis illa, quæ vulgò obedientia dicitur nova fructusque pœnitentiæ, Matth. III. 8. Act. XXVI. 20. Quis arborem verò ex pomis constare statuat, sic nec nova obedientia vocari pars pœnitentiæ strictè talis meretur. Non dissimulo quidem Apologiæ verba p. 165. *Si quis volet addere tertium, videlicet dignos fructus pœnitentiæ, hoc est, mutationem totius vitæ ac morum in melius, non refragabimur*: Sed, uti ipse Aristoteles 1. pol. & liberos familiæ partem latè appellavit, sic latè quoque pœnitentiæ partem vocitari novam obedientiam nostri Theologi non refragantur. *Gerh. de Pœn. §. XLIV. LIII. LV. f. 207. 210. Hülsemann. Brev. C. IX. §. 5. p. m. 197. Menz. in A. C. p. 425. & B. D. Osiand. Exer. XII. in C. A. p. 178.*

QUÆSTIO XVIII.

An Ecclesiam plantatam inter ac plantandam rectè distinguatur?

Distinctio hæc non est distributio generis in species, nedum divisio totius in partes, ac si Ecclesia non esset una, sed est tantùm limitatio subjecti juxta varias ætates. Uti distinguitur juvenem inter atque senem, infantem inter ac puerum, sic & Ecclesiam nascentem inter ac adultam, quæ non tantùm variis Scripturæ dictis, Psal. XXX. 9. Jes. LX. 21. LXI. 3. Jer. II. 2. 21. XI. 17. Hos. IX. 10. Rom. XV. 20. 1. Cor. III. 6. 7. 8. 10. XIV. 22. Gal. IV. 1. 2. 3. 4. sed exemplis quoque Ecclesiæ suffulcitur tum Judaicæ tum Christianæ, quarum utraque notoria sua habuit incrementa, ætates ac periodos. *Corpus Christi, quod est Ecclesia*, inquit Augustinus, *tanquam unus quidam homo primò junior fuit, & ecce jam in fine seculi est in senectâ pingui*, in Psal. XXXVI. T. VIII. f. 302. Si verò alia pueris conveniunt, alia viris. 1. Cor XIII. 11. quid mirum, multa, quæ in nascente Ecclesiâ vigebant, expirasse in adultâ, & vicissim invaluisse commodè multa, quæ per Imperatorum infidelium duritiem nondum licebant. Nec omnia rejicies, quorum nullum in tribus seculis prioribus vestigium, nisi & campanas è turribus sacris sagas deturbare.

QUÆ-

QUÆSTIO XIX.

An nullus visibilis vocatorum cœtus Ecclesia Dei vera sit?

ITa Weigel. Postill. P. I. f. 140. docet. Nos autem pro Art. VIII. A. C. ex veræ Ecclesiæ notis contrarium ita demonstramus: In quocunque cœtu verbum Dei purè prædicatur, & ritè administrantur Sacramenta, is Ecclesia Dei est vera. Atqui in visibili vocatorum cœtu (si non omni, tamen aliquo e. g. nostro) purè prædicatur DEI verbum. &c. E. Idem & ex parabolis liquet, Matth. XIII. 25. 47. XXII. 11. ubi Regnum Dei i. e. procul dubio Ecclesia Dei vera confertur cum agro, in quo bonum semen & zizania, cum sagenâ, in quâ pisces boni & mali, cum convivio, in quo hospites amictu nuptiali ornati, eoque destitutus, confer. 2. Tim. II. 20. Matth. III. 12. Accedunt & exempla Ecclesiarum Asiaticarum, quæ utut stellæ in manu Domini fuerint, ac candelabra, in quorum medio ille ambulavit, Ap. I. 20. multos tamen immixtos etiam malos foverunt, Ap. II. 4. 14. 15. 20. I. I. 2. 15. Corinthiacæ, quæ non usquequaque pura, 1. ep. V. 1. XV. 12. 2. ep. XII. 21. & tamen vera ac juxta formam externam visibilis Dei Ecclesia fuit. 1. ep. I. 2. IX. 2. 2. ep. I. 14. III. 2. 3. ac Judaicæ, quæ impura quidem adultera fuit, nihilominus vera Dei Ecclesia esse non planè desiit, sed per circumcisionem, quod ipsi sacramentum adhuc erat integrum, filios

Deo genuit atque filias Ez. XVI. 20. XXIII 4. 37. Interim Ecclesiam electorum invisibilem cum Pontificiis pro Repl. Platonicâ non habemus, perhibentes potiùs, Ecclesia visibilis ubi vera est, ibi & invisibilem esse, cum verbum nunquam redeat, quin fructificet, saltem apud aliquos, Isa. LV. 10. Qui itaque à visibili se Ecclesiâ separat, deserit & invisibilem, in illâ quippe latentem. Galliarum Regi persuasum olim fuit, *nullam apud nos esse Ecclesiam*, uti refert: Artic. Smalkald. p. m. 300. Idem nobis opprobrium denuò intentatur, sed præter rem. Nos enim fundamento Prophetarum ac Apostolorum sumus inædificati. Nos vocem Christi audimus solius. Nos in rebus fidei pro principio nec rationem, nec autoritatem humanam, nec traditiones, nec Papam, nec Concilia, nec somnia, nec colloquia s. Angelorum s. animarum separatarum suspicimus, sed solum Dei verbum, ex quo nulla Ecclesia alia suæ religionis capita, etsi jactet, tam solidè ac perspicuè probare potest, ac nos nostræ fidei articulos inde deducimus. Etsi enim Regnum Dei i. e. Ecclesia ager sit, cujus pars vix quarta terra bona, petræ tamen spinæque prædominantes obstare nequeunt, quin in terrâ illâ bonâ verbi divini semen radices agat ac fructificet, Matth. XIII. 8. 23. Utut etiam numerus malorum in Ecclesiâ (e. g. in Sardibus, Ap. III. 1.) prædominetur, in paucis tamen impollutis, v. 4. candelabrum perstat aureum, i. e. vera Christi Ecclesia c. l. 2). ita ut idem visibilis cœtus intuitu infidelium diaboli scortum, fidelium respectu autem quamvis longè pauciorum dilecta Christi audiat sponsa,

la, penes quam nec vivum Dei verbum in cassum excidit, Jes. LX. 10. 11. nec sacramenta sunt nuda tantùm signa, uti etiam in Ecclesiâ primitivâ vix ac ne vix quidem quatuor aut quinq; supererant, qui cum Athanasio facere videbantur. *vid. Nicol. Umbell. p. 78. 7. Musa d. Eccles. p. 222. 288. & Diet. Anal. ll. p. 414.*

QUÆSTIO XX.

An dilectio proximi genuina Ecclesiæ nota sit?

WEigelius affirmat in Dialogo de Christianismo C. II. pag. 44. **An der Liebe** / inquiens, **kennt man nur die Jünger Christi** / **das ist** / **die Gliedmassen der wahren Catholischen Kirchen.** consona videntur obvia & in P. P. & in ipsis scripturis: *Dilectionis operatio notam nobis* (Christianis) *inurit penes quosdam*, (Gentiles) *vide, inquiunt, ut se invicem diligant*, sic Tertullianus in Apol. c. 39. & Chrysost. homil. 33. in ep. ad Ebr. *Multa quidem sunt* τὰ χαρακτηρίζοντα τὸν Χριστιανισμὸν, *magis autem & melius*, quàm omnia *mutua inter se dilectio & pax.* Imò Christus ipse: *In hoc cognoscent omnes, quòd Discipuli mei estis, si charitatem habueritis ad invicem.* Joh. XIII. 35. 1. Joh. III. 10. Ex his tamen nequit evinci, quòd dilectio proximi nota sit Ecclesiæ sola,

apodictica & à priori, æquè ac pura verbi divini prædicatio, Joh. VIII. 31. X. 27. sed hoc tantùm sequitur, dilectionem esse γνώρισμα fidelium à posteriori, Gal. V. 6. Jac. II. 18. tantùm probabile. Hic enim affectus in corde latet, Jerem. XVII. 9. (juxta Hackspan.) Coh. IX. 1. 1. Cor. III. 11. adeoque nullius nota esse potest, effectus verò omninò dubius est, cùm & hypocritis competat, Matth. VI. vers. 2. XXVI. 9. Sir. XII. 15, 16. --- & Gentilibus, Matth. V. vs. 46.

QUÆSTIO XXI.

An omnes apud nos status adeò corrupti sint, ut universa A. C. Ecclesia nihil nisi Babel sit?

HOc convitium Ecclesiæ sanctiori ab iis tantùm impingitur, qui omniaturbant ipsi. Quos verò plerique Christiani per totum terrarum orbem dispersi fugiunt, quos illorum præsertim corda, qui de Ecclesiâ sunt invisibili, latent, illi multò minùs ac Elias divinare, 1. Reg. XVIII. 24. nec (2. Petr. II. vs. 12) citra calumniam dicere possunt, nullum in Ministerio pium, nullum in statu politico justitiarium, nullum in œconomico probum usque superesse. Querelas enim illas, Psal. XIV. 3. Jesai. I. v. 21. Jerem. II. 9. Hoseæ II. 5. viri longè perspicaciores ediderunt, vates quippe entheati. Nec *Babylon illa* mysti-

mystica *mater scortationum* spiritualium, idiolomaniæ scilic. & superstitionis, Apoc. XVII. 5. morum præcipuè flagitiis condita est; sed erroribus potiùs doctrinæ, quo autem fermento per Lutherum ejecto fides nostra adeò pura est, ut cum cathedrâ Papæ planè irreconciliabilis sit, labisque convinci ullius usque nescia, conf. Psal. XCIV. 20. Jerem. XXIII. vs. 28. Quo minùs Babelismum gignunt morum vitia, hæc enim non statim omnia Babylonica dicas, cùm plurima extra Ecclesiæ pomœria inter Judæos ac Gentes, multa intra illius latifundia longè latèque luxurient, adeoque pauciora soli Babeli propria sint, vera enim Ecclesia mox ab origine ager ille est, in quo maximam partem infelix lolium & steriles dominantur avenæ, Matth. XIII. v. 4, 5, 7, 27. pars vix quarta est frugifera, v. 8. Ergone ob spinas ac zizania morum à primordiis statim tota Ecclesia Babel fuit? Rectiùs Lutherus: Es ist ein grosser Unterscheid unter der Lehre und Leben/ mit der Lehr gilt nicht schertzens/ die muß rein und recht bleiben/ aber mit dem Leben halten wirs nicht so streng/ wie man auch im Evangelio sihet/ daß Christus Gedult hat mit den Jüngern/ und durch die Finger sihet/ wann sie gleich gröblich strauchlen/ doch strafft Er sie zuweilen auch/ und spricht: Es ist nicht recht/ das ist/ die Lehre. Mit den Pharisäern aber und Heuchlern hat Er kein Gedult/ dann es trifft nicht das Leben; sondern die Lehre an/ es ligt die gröste Macht an der Lehre/ wann die rein ist und bleibet/ so kan man

man allerley unvollkommen Leben und Schwachheit tragen / so fern / daß man an der Lehre halte / und bekenne / daß das Leben anderst seyn solte / wo aber die Lehre verfälscht wird / ist dem Leben auch nicht mehr zu helffen. Tom. IV. Altenb. fol. 69. Quot colliſiones ac jurgia turbabant Eccleſiam quoque Corinthiacam? 1. epiſt. III. ℣ſ. 3. quam tamen non Babel; ſed *ſanctificatam* potiùs *in Chriſto* JESU Apoſtolus ſalutavit, cap. 1. 2. Ecquis in Babelſimum S. Eccleſiæ illa ſcelera imputet, quæ deteſtatur ipſa inque reprobis ſeveriùs corripit? *Nunc vos illud admoneo*, inſit Auguſtinus, *ut aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis vituperando mores hominum, quos & ipſa condemnat, & quos quotidiè tanquam malos filios corrigere ſtudet. d. mor. Eccl. c. 34. T. I. f. m. 774.* Zoili noſtri dentes ſuos Theoninos in frangendâ hâc Cypriani nuce exerceant: *Ne quisquam ſibi, quod ſoli Filio Pater tribuit, vendicare ſe putet, ut ad aream ventilandam & purgandam paleam ventilabrum ferre ſe poſſe, aut à frumento univerſa Zizania humano judicio ſegregare... Superba eſt iſta obſtinatio & ſacrilega præſumtio, quam ſibi furor pravus aſſumit. Et dum dominium ſibi ſemper quidam, plus quam mitis juſtitia depoſcit, aſſumunt, de Eccleſiâ pereunt: & dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore excæcati, veritatis lumen amittunt. Lib. III. ep. 2. f. m. 77.*

QUÆ.

QUÆSTIO XXII.

An ordinationes Ecclesiæ nostræ Libertatem Christianam, quin & conscientiæ sufflaminent?

ORdinationibus illis, quæ nec sub opinione absolutæ necessitatis, nec cultûs divini per se, nedum meriti, conscientiis à Magistratu obtruduntur; sed à totâ Ecclesiâ decori tantùm ac εὐταξίας gratiâ liberè receptæ sunt, siniſtrè Libertini ac Antitactici libertatem opponunt Christianam, quin & conscientiæ. Nam ne *libertas* quidem *Christiana* ἴδιον θέλημα aut effrænis pro libidine & arbitrio dissolutè vivendi licentia est ac impunitas, ut suscipere promiscuè liceat, quæcunque singulis libent. Rom. VI. 18, 22. 1. Cor. VII. 22. Gal. V. 13. 1. Pet. II. 16. sed spiritualis potiùs ac mystica renatorum manumissio, quâ Filius DEI Joh. VIII. 36. per sanguinem suum, Ephes. I. 7. ab onere multiplicis calamitatis, Luc. I. 74. ac servitute sc. peccati, Rom. VI. 18. VIII. 2. à jugo Legis, Rom. VII. 6. Gal. III. 13. præsertim Ceremonialis, Act. XV. 10. Gal. IV. 9. V. 1. & traditionum humanarum, 1. Cor. VII. 23. Col. II. 21, 22, 23. denique & à tyrannide Diaboli atque mortis, Ebr. II. 14, 15. emancipatos in immunitatem filiorum DEI asseruit, Rom. VIII. 15, 21. 2. Cor. III. 17. Quantacunq;

tacunque ita libertas hæc, absoluta tamen non est; sed usum ejus lex charitatis Act. XVI. 3. Rom. XIV. 21. 1. Cor. VI. 12. VIII. 9, 13. IX. 19. X. 23. Gal. V. 13. bonique ordinis 1. Cor. XIV. 40. moderatur, conscientiis tamen adeò accommoda, ut lubentiâ lubentiùs obsequantur, quod à coactione servorum multùm abhorret, ex. gr. omnes boni non tantùm in ordinem ultrò propensi sunt; sed honestas quoque in ideâ τῆ καλῆ nescio quod ἑλκυστικὸν habet, quod bonas mentes ineluctabiliter, suavissimè tamen allicit. Ecquis dicat ordinationes Synodi Act. XV. 29. & Pauli 1. Cor. XI. 34. libertati Christianæ derogasse? & parerè *libertatis conscientiæ* ratio est, quæ non in eo vertitur, ut de rebus Divinis quivis liberè sentire, judicare & loqui ausit, neque etiam in eo, quòd nemo cogi potest, ut judicet hoc verum esse, quod judicat esse falsum (quæ non tàm libertas conscientiæ est, quàm facultas judicii ab alio cogi nescii) sed in eo potiùs, quod nemo ab ullo homine justè impediri potest, quò minùs dicat & faciat, quod DEUS dicere & facere jussit. Quia enim conscientia est συνείδησις Θεῷ, 1. Petr. II. 19. adeoque neminem nisi DEUM, Dominum habet, ita libera esse debet, ut à nemine mortalium justè impediatur obsequi DEO. Actor. V. 29. *vide & A. C. art. XV. nec non Speneri* Ubereinstimmung / *Art. XV. th. 1. §. 2.*

QUÆ-

QUÆSTIO XXIII.

An conventus Ecclesiæ publici sint necessarii, nec ullus privatus sit tolerandus?

UTut Regnum DEI spirituale non veniat cum observatione φανταστας πομπης, pompæve externæ ac mundanæ, qualem & quantam Pharisæi expectârant, in Ecclesiâ tamen visibili conventus sacros, qui à pluribus non nisi certo loco, Act. XIX. vs. 8. statoque tempore Act. XIII. 7, 42, 44. 1. Corinth. XVI. 1. fieri possunt, esse necessarios, evincit I. Mandatum: *Observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera non deserentes* τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, *sicut mos est quibusdam; sed adhortantes invicem, idq; hoc magis*, en additur & ratio, *quòd videtis instare diem*, Ebr. XI. 25. II. Promissum: *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, sum in medio eorum.* Matth. XVIII. 20. III. Exemplum Ecclesiæ Corinthiacæ, quæ congregata fuit, 1. Cor. XI. 17, 34. & quidem in publicâ etiam scholâ, ubi Paulus docebat, Act. XIII. 8, 9, 10, 26. Accedunt IV. Preces publicæ, quæ uno ore fieri debent à pluribus, Act. II. 6, 24, IV. 24 31. XVI. 13. XX. 36. Rom XV. 6. V. S. Synaxis, ubi convenire, & de uno pane participare oportet multos, 1. Cor. XI. 33. X 17. VI. Disciplina Ecclesiastica, Matth. XVIII. 17. & coràm omnibus arguere opus est 1. Tim. V. 20. Maximè verò

V. Verbi Divini publica prædicatio, 1. Cor. XIV. ℣. 24. quade *vid. Cav.* erſtes Chriſtenth. *c. IX. pag. 272.* Chriſtus Johan. IV. 21, 22, 23. nos oratorio non ampliùs uni, ut in Vet. Teſt. alligatos eſſe aſſerens publicum cultum non ſuſtulit; ſed loco potiùs omni licitum edocuit. 1. Timoth. II. 8. Nec tamen in publicis congreſſibus acquieſcimus, juxta id Actor. XX. 20, 31. Rom. XVI. 5. 1. Theſſ. II. 10, 11. Philem. ℣. 2. ſed uti quivis Paterfamilias fundamenta fidei, preces & reliqua pietatis exercitia domi fideliter urget, ſic quilibet quoque verbi præco nullam prætermittit occaſionem inſtituendi, & ſingulos, e. g. Juventutem in ſcholis, catechiſationibus aliisque examinibus, mœſtos in luctu, in morbis ægros, inque vinculis captivos, præſertim & catechumenos, cùm ad primum S. Cœnæ uſum ſunt præparandi, neogamos, cùm voti ſui denunciationem petunt, inordinatè ambulantes tùm privatim, tùm in cenſuris Eccleſiaſticis, maximè autem confitentes antequam abſolvantur. Quòd ſi verò nec hæc exercitia privata, nec tot conventus publici fereque quotidiani ſufficerent, & alii privati, quos collegia pietatis vocant, permitti poſſent, ſuis tamen circumſcripti limitibus, ſi vel dirigantur à Miniſtro ordinario, eoque orthodoxo. 2. Si Conventibus publicis non derogent, ſi 3. his tantùm ſuppleatur, quod iis deeſſe prætenditur, 4. ſi tanti in his peccatores non compareant, ob quantos Conventus aliàs publici deſeruntur, 5. ſi in nimiam non excreſcant frequentiam. Es kan nicht unrecht

ſeyn/

seyn/ inquit Spener, wo einige gute Freunde zuweilen außtrucklich zusammen kommen/ die Predigten untereinander zu widerholen/ und sich des gehörten zu erinnern/ in der Schrifft zu lesen/ und wie sie das gelesene in die Ubung bringen möchten/ sich in der Furcht deß HErrn zu besprachen/ nur daß es keine grosse Versammlungen seyen/ die ein Ansehen einer Trennung und offentlichen Zusammenkunfft haben möchten/ daß sie nicht dardurch den offentlichen Gottesdienst versaumen/ verächtlich deßwegen darvon halten/ die ordentliche Prediger darüber nicht verachten/ auch sonst in ihren Schrancken sich halten/ ihre nothwendige Arbeit und Beruff wider ihrer Vorgesetzten oder Eltern Willen nicht unterlassen/ willig alles dessen/ was sie gehandelt/ Rechenschafft geben/ und allen bösen Schein dabey meiden. *Sacerd. p. 67.* 6. Si absit hypocrisis, fastus, æmulatio, aliorum contemptus, omnisque mali, præsertim Sectæ species, nec alia majora ipso usu incommoda consequantur, in quem casum rectissimè D. Schömer in præfat. Collegiatis: *Collegialem docendi modum spernendum non esse puto, si abusum poterit & discordiam docentium evitare, id verò si obtineri nequit, ea via eligenda est, quâ veritati pariter & paci prospicitur.*

QUÆSTIO XXIV.

An à publico Ecclesiæ conventu sacrâque synaxi fas sit se separare?

QUòd congressibus nostris immixti passim sunt quoque mali, ideòque non tantùm Anabaptistæ, sed pridem Audiani, multique alii segreges evaserunt. Qualis verò Separatismus est. I. Divinitùs interdictus. Desertio τῆς ἐπισυναγωγῆς prohibetur Eb. X. 25. & omne schisma 1. Cor. I. 10. XII. 25. ut & διχοστασία Rom. XVI. 17. ubi econtrà summa animorum & linguarum harmonia ac fraterna contesseratio commendatur. II. Satis arrogans. Separatistarum enim non est peccatorum corda penetrare Ps. IXIV. 6. 1. Cor. II. 11. aut judicare. Matth. VII. 1. Luc. VI. 37. Rom. XIV. 4. 13. *Hic prætextus plenus superbiæ & è Pharisæorum doctrinâ manans. Nam & isti supremum animarum & corpornm Medicum accusant, dicentes S. Apostolis: quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* ita de Audianis Theoretus judicabat, *H. E. L. IV. c. 20. f. m. 162.* III. Minùs necessarius. Justus enim fide vivet suâ, Hab. II. 4. inque se gloriam habebit non alio, Gal. VI. 4. Uti vicissim unicuique etiam ratio potiùs reddenda pro se Rom. XIV. 12. onusque portandum est suum. Gal. 5. *Etsi videntur in Ecclesiâ esse Zizania,*

non

non tamen impedire debet, aut fides aut charitas nostra, ut, quoniam Zizania esse in Ecclesiâ cernimus, ipsi de Ecclesiâ recedamus. Nobis modo laborandum, ut frumentum esse possimus; Hæc Cyprianus L. III. epist. III. ad Maxim. f. m. 77. & Augustin. contr. Epist. Parm. L. II. cap. 22. Qui non facit malum, nec facienti consentit & facientem arguit, firmus atque inter iniquos, tanquam frumentum inter paleas conversatur. T. VII. f. 10. IV. Planè frustraneus. Agrum enim sine Zizaniis i. e. cœtum omninò purum inventuro foret mundo planè exeundum. 1. Corinth. V. 10. Imò & fides semper foret dubia, si illi proximi ἀπιστία (utpote nunquam satis perspecta:) posset derogare. V. Nimis præcox. Separatio enim diei demùm novissimo reservanda est, Matth. III. 30. *Nemo ante tempus deferat aream*, inquit August. d. verb. Dom. serm. XVIII. *toleret paleam in triturâ, toleret in areâ. T. X. f. m. 64.* VI. Maximè noxius. Ecclesiam enim dilaniat, quæ una est Cant. VI. 8. anima una Act. IV. 32. unus Spiritus, Eph. IV. 4. unum corpus, Rom. XII. 5. per commissuras & compagines coagmentatum, Col. II. v. 19. unum ædificium constructum, Ephes. II. 21. uti unus panis, sic & corpus unum, 1. Cor. X. 17. sumus, potique in unum Spiritum, Corinth. XII. 13. ita ut contra separatismum efficacissima ad alendam Spiritûs unitatem per vinculum pacis argumenta sint unum caput, unum corpus, unus Spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, Pater & omnium,

Eph.

Eph. l. 10. IV. 3. 4. 5. *Nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere, qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. Monet Dominus & dicit: Qui non est mecum, adversus me est, & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversus Christum facit:* inquit Cyprian. *d. Simpl. Prælat. f. m. 264.* pariter & Augustin. *d. Temp. serm. 181. Avelle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit. Frange ramum ab arbore, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescit. In his Cypriani verbis intelligimus, lucem non capere divisionem, nisi in sanctis regno Dei Prædestinatis, qui dividi ab Ecclesiâ nullo modo possunt & non germinare ramum fractum salutis æternæ germine accipimus. Aridit atem verò rivi à fonte præcisi, in eo, quòd Spiritu S. vacuantur, qui ab unitate separantur, agnoscimus. In vigil. Pentec. serm. l. T. X. f. m. 994.* Ecclesia quidem Lutherana Separatistis secta est. At Separatistas è nobis egressos potiori jure sectarios dixerim, ac Pharisæos, quàm nos evasimus Babylone exeundo. A Doctore quidem denominamur Lutherani, non tamen ob donorum, quod vetatur 1. Cor. l. v. 12. sed doctrinæ differentiam, ut ab Athanasio Athanasiani & à Christo Christiani Act. XI. 26. nomen acceperunt, quos sectarios tamen nemo dicit. Nec dicta, quæ pro Separatismo magno numero adducuntur, separationem ab Ecclesiâ evincunt, sed conversationem tantùm familiariorem cum sceleratis cavent.

Præ-

Præsertim 2. Cor. VI. 14. cum infidelibus trahi vetatur (ἀπιστίας in religione inque vitâ ἀνομίας) jugum, à quo mali contagium metuas, quale verò cultus publicus non est. *Quamvis* etiam *jussi simus sub ducere, separare, subtrahere nos* ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος 2. Thess. III. 6. 14. *ab omni fratre inordinatè abulante, & non secundùm traditionem Apostolicam. Quamvis etiam jubeamur nos separare conversatione familiari ab adultero, homicidâ, avaro & qui frater dici vult*, 1. Cor. V. 9. 10. 11. *Non tamen jubemur nos separare cultu, adoratione, professione, sacramentorum sumtione & sacrorum communione à cœtu illo, in quo vivunt hæ personæ singulares, sed tantùm ab his singularibus personis, & quidem quod ad intimiorem admissionem & fraternam conversationem attinet*; quæ mens & verba Hülsemani *de Corrept. Frat. p. 238.* Paulus quidem recessit à malis, scholam tamen s. Ecclesiam non deseruit. Act. XIX. 9.

Nec melioris farinæ Separatismus est à S. Synaxi, sed I. ἄγεσθε, Communicans jubetur probare (non alios, sed SE, 1. Cor. XI. 28. ad quem locum L. Osiander: *Observandum, quòd Paulus dicat: Probet SEIPSUM homo. Non igitur vult, ut propter proximi nostri indignitatem à cœnâ abstineamus sed quisque SE IPSUM probet. Quod enim Paulus alibi vetat, ne cum impœnitentibus Christianis cibum capiamus, id non ad cœnam Domini trahendum est. Agit enim Paulus de nimis familiari convictu, quo impœnitentes in suâ malitiâ confirmantur.* II. Arrogantiæ plenus, sic enim Separatistæ sapere volunt non tantùm supra Paulum, qui dignis Corinthiis ob convivas indignos S. Synaxin

axin non dissuasit, in δεῖπνον ἴδιον potiùs invectus, 1. ep. XI. 21. 33. sed suprâ ipsum quoque Magistrum, quem & Judæ cœnam administrasse supra ad Q. XII. demonstravimus, quod & Augustinus urget, *non dixisse Dominum, præsente Judâ, nondum mundi estis: sed jam mundi estis vos: addit autem non omnes: quia ibi erat, qui mundus non erat, qui tamen, si præsentiâ suâ cæteros pollueret, non eis diceretur, jam vos mundi estis, sed diceretur, ut dixit, nondum mundi estis, Postquam ille discessit, dixit eis: Jam vos mundi estis, nec addit: sed non omnes, quia jam discesserat, quo etiam præsente, sicut eis dictum est, mundi erant, sed non omnes, quia erat illic unus immundus. Quapropter his verbis magis Dominus declaravit, in uno cœtu hominum eadem sacramenta sumentium aliquorum immunditiem mundis obesse non posse.* III. Planè anceps ac dubius. Si enim aliorum malitia, e. g. hypocrisis dignitati hospitum piorum derogare potest, quis dignam epuli hujus sumtionem sibi polliceri poterit? Quis non in perpetuum potiùs fluctuabit, num inter dignos etiam incedat? IV. Maximè noxius. *Quisq; ab hâc catholicâ Ecclesiâ fuerit separatus*, inquit Augustinus, *quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quòd Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super ipsum. Quisquis autem in hâc Ecclesiâ benè vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata, quia unusquisque in eâ proprium onus portabit; sicut Apostolus dicit: Et quicunque in eâ corpus Christi manducaverit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Nam hoc etiam ipse*

ipse Apostolus scripsit. Cùm autem dicit judicium sibi manducat, satis ostendit, quia non alteri judicium manducat, sed sibi. Hoc nos egimus & ostendimus, quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum sed consensione factorum. Epist. CLII. T. II. f. m. 659. Etsi etiam dignus cum indignis communicet, unà tamen corpus spirituale cum ipso increduli non faciunt, sed ecclesiasticum modò visibilis cœtûs, nedum fidelis ità diabolorum communionem incurrit, nisi plane ad idololatras deficiat, ipse dæmoniis sacrificans, 1. Cor. X. 20. 21. Sic & Augustinus: *De uno pane & Petrus & Judas accepit, tamen quæ pars fidelicum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Judas ad mortem.-- Qui enim manducaverit indignè judicium sibi manducat & bibit, judicium sibi, non tibi, tolera malum bonus, ut venias ad præmia bonornm, ne mittaris in pœnam malorum.* XII. Tract. L. T. IX. f. m. 370.

QUÆSTIO XXV.

An confessio peccatorum coram Ecclesiæ Ministro privata sit eliminanda?

ABhorrent illam, quotquot hodiè Calvino, Socino, Weigelio ac Anabaptistis adhinniunt. Nostra autem Ecclesia ex necessitate quidem nec specialis præcepti, nec medii, salutari tamen consilio, (*quo de prolixè Symbol. Libb. p. 12. 27. 28. 81. 183.*) retinuit,

nimirùm I. ob exemplum tum Davidis, qui coram Nathane, 2. Sam. XII. 13. tùm Judæorum, qui coram Johanne B. Matth. III. 6. peccata sua confessi sunt. II. Correlatum, privatam puta Absolutionem, quæ vix ac ne vix quidem dignè fiet, nisi præviâ confessione, quòd sanctum non est dandum canibus, nec porcis margaritæ, Matth. VII. 6. III. Commodum, commoda enim occasio in cathedrâ se confessionali pastoribus offert, oves suas profundiùs explorandi ac dignoscendi, rudiores informandi, corrigendi, emendandi feroculos, tentatos erigendi, ac consolandi afflictos, Memorabilis est locus Rhenani in argum. Tertull. d. pœnit. f. m. 469. *Confessionem privatam saluberrimam esse nemo potest inficiari, si morositatem & scrupulositatem nimiam amputes. Quid enim per DEUM immortalem utilius habere possit Ecclesia ad continendam disciplinam, quid commodius, quàm privatam istam confessionem ad populum in necessariis erudiendum? ubi horulæ spatio plus proficit laicus, quàm triduanâ concione. Nam dum è suggestu declamat sacerdos, perpauci diligenter auscultant, multi aliorsum cogitando distrahuntur, quidam juxta proverbium ὄνοι λύρας vel propter obtusitatem ingenii, vel ob materiæ sublimitatem, cujus non sunt capaces, etiamsi curiosè auscultent, non tamen percipiunt, quod dicitur. At hic tùm rei ipsius tum sacerdotis reverentia attentum reddit hominem. Et doctrina quam illic cum petente communicat, ad ejus captum attemperatur. Quod si in ludis literariis frustrà præceptor scholasticis prælegit, nisi illud idem paulò post ab eis*

eis exigat, & ut reddant, cogat: haud aliter quantumcunque publicis concionibus instituatur populus, uisi isto pacto examinetur, longè minùs proficient Auditores. Itaque quod D. Cyprianus Disciplinæ encomium pronunciat, mihi libet accommodare confessioni, ut dicam eam retinaculum fidei, ducem itineris salutaris, fomitem ac nutrimentum bonæ indolis, magistram virtutis. Etsi DEO principaliter confitendum sit. Ps. XXXII. v. 3. 4. 5. LI. v. 6. 1. Joh. I. 8. 9. 10. illa tamen confessio immediata mediatam coram Dei Ministro non excludit, juxta illud, Coh. V. 5. *Ne dicas coram Angelo, innocens sum, ne fortè irascatur Dominus & damnet universa opera tua.* Si Minister Dei loco absolvit, quidni ei Dei loco & confitearis. Nec confessionem hanc in Concilio demùm Lateranensi Anno 1215. ab Innocentio III. fuisse introductam, adeoque fermenti Pontificii reliquias putes, ejus enim vestigia jam deprehendimus in Ecclesiâ tùm Græcâ circa Annum 187. ubi Origenes in Psal. XXXVII. *Proba priùs Medicum, cui debeas languoris causas exponere, ut siquid ille dixerit, siquid consilii dederit, facias & sequaris.* tùm in Latinâ, circa Annum 450. ubi Leo constituit: *Submovendam esse consuetudinem, quâ de singulorum peccatorum genere libellis scripta confessio publicè recitabatur, cùm sufficiat, reatus conscientiarum solis sacerdotibus indicare confessione secretâ. Sufficit ergo illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tùm etiam sacerdoti, epist. 78.*

QUÆSTIO XXVI.

An absolutio à Ministro facta sit glaucoma tantùm, impostura merumque falsimonium?

ABsolutio nostra non est inane tantùm crepitaculum, ut calumniantur Ministerio mastiges, nec ἱστορικὴ tantùm absolutionis in cœlo factæ denunciatio, ut Reformatis videtur, nec παρακλητικὴ tantùm aut σημαντικὴ promissionum divinarum applicatio, qualis cuivis quoque laico competit, Col. III. 16. I. Thess. V. 11. Eb. III. 13. sed est vera peccatorum remissio. Quemadmodum enim Christus missus est, Joh. XX. 21. præcipuè & ad remittenda peccata, v. 13. eodem modo (similitudinis sc. ac veritatis, quoad influxum realem, etsi servato Magisteriorii & Ministerii discrimine) mittuntur & Ministri, quousque messis durat, Matth. IX. 38. ad ἔργον διακονίας perficiendum, Eph. IV. 12. Atqui Christus fuerat missus ad peccata verè remittenda. Ergò & Ministri quàm verissimè etiam solvunt ligantque, quòd ad id claves regni cœlorum acceperunt, Matth. XVI. 19. quæ non crepundia, nec nuda tantùm operationis signa, sed vera aperiendi instrumenta. Etsi nemo, nisi ipse Deus, remittere peccata queat, Luc. V. 21. αὐτοκρατορικῶς sc. & αὐτεξουσίως, absolutio tamen διακονικῶς competit & Ministris Ejus, ceu cooperariis ac œconomis, 1. Cor. III. 9. IV. 1. qui Ministerio reconciliationis defunguntur, 2. Cor. V. 18.

Nec

Nec potestas delegata ratione influxûs realis alia, sed potiùs eadem est (salvâ solùm subordinatione ac dependentiâ) cum principali. Imò Minister Ecclesiæ effectivè (licet ὀργανικῶς) salvat, 1. Tim. IV. 16. ita & absolvit. Licet Apostoli confessos peccatores absolvisse nullibi legantur, id tamen negandum inde non est, neque enim leguntur orationem Dominicam recitasse, aut baptizasse, in nomine Patris, Filii & Spiritûs S. aut communicasse sub utrâque specie & fœminis, præceptis tamen divinis viros tam sanctos paruisse planè indubium. Dicunt deniquè omnes Ministros Ecclesiæ nostræ ipsos esse ligatos, adeòque absolvere non posse. At judicium satis temerarium, aque charitate quam jactant, longè alienissimum de iis, quos nondum omnes pernoverunt, 2. Petr. II. 12. Deinde Christus ad omnes Apostolos nullo, ne Judâ quidem, excepto dixit: *Quæcunque solveritis in terris, soluta erunt & in cœlis*, Matth XVIII. 18. E. & Judas validè absolvit. Hinc & Augustinus *in Psalm. X. Quid vobis fecit Christus, qui eundem traditorem suum, quem diabolum nominavit, qui ante traditionem Domini nec loculis dominicis fidem potuit exhibere, cum cæteris discipulis ad prædicandum regnum cœlorum misit, ut demonstraret, dona Dei pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit, per quem accipiunt, qualis Judas fuit. T. VIII. f. m. 74.*

QUÆ-

QUÆSTIO XXVII.

An Festa, Vestimenta, vasa &c. Ecclesiæ sacra sint hodie vetita?

QUod nullum horum expressum s. præceptum s. interdictum in N. T. occurrit, illa Ecclesia A. C. nec ut ad salutem necessaria adoptavit, nec ut intrinsecè mala rejectavit, sed ut adiaphora tantùm ab antiquissimis jam temporibus frequentata, ex suâ, quâ gaudet libertate, decori bonique ordinis gratiâ Art. XV. in hunc usque diem retinuit. Si omnia enim, quæ ex lege restare ceremoniali videntur, loco movenda essent, azymum quoque in Cœnâ oporteret aboleri. Quod itaque concernit **I. Festa**, illa quoque quibus Sanctorum memoriæ recoluntur, retinemus in solius Dei honorem, animo grato pro beneficiis per hæc organa Ecclesiæ collatis. *Nos* inquit Augustin. [illegible] *uni DEO beneficiorum ejus memoriam solennibus festis & diebus statutis dicamus consecramusq;, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio. T. V. f. m. 540.* Nec celebramus dies illos ceu in se aliis sanctiores, sed ut Dei verbum à Sanctis propagatum ipsorumque sanguine obsignatum ad nominis divini sanctificationem, Ecclesiæ salutem ac ædificationem ruminetur, quin & Sanctorum fides, virtutes ac constantia ad imitationem fidelibus proponantur. Eb. XIII.

7. A. C. Artic. XXI. Diem quidem curamus, ſed Domino, Rom. XIV. verſ. 6. Nemo nos inde judicare debet, Col. II. verſ. 16. qui libertati noſtræ inſidiantibus ne horam quidem cedimus, ut veritas Evangelii apud nos permaneat, Gal. II. 4. 5. Decent. II. **Veſtimenta** in ſacris quoque **alba**. *Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ contra Deum*, ita Hieronymus ſuo jam ævo quæſivit. *L. 1. advers. Pelag. c. 9. T. II. f. m. 274. ſi tunicam habuero mundiorem? Si Epiſcopus, Presbyter & Diaconus & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrorum cum candidâ veſte proceſſerint.* Denique III. ſubſiſtunt & **vaſa ſacra**, in quæ moderni Ariſtarchi invehuntur ex Marc. VII. 4. ubi Chriſtus Phariſæorum hypocriſin carpit, quòd externam tantùm poculorum patinarumque partem purgarent, intus & in cute impuriſſimi interim ipſi, Matth. XXIII. 25. Luc. XI. 39. Nullam verò ſanctitatis ſpeciem externo ſplendore ut Phariſæi, Eccleſia noſtra captat aut affectat, nedum ejusmodi vaſa ſacramentis ſuis abſolutæ neceſſitatis opinione, ſed decori tantùm gratiâ liberè conſecravit. Si enim die dominico e. g. vinum benedictum ex illis adminiſtraretur cyathis, queis per integram ſeptimanam potores in cauponis certarunt, res foret indigna ac offnndiculi pleniſſima. Το πρέπων itaque exigit & ſumma ſanctiſſimi ſanguinis dignitas meretur, ut calix ipſi inſerviat peculiaris, eoque reverentiùs habendus, quo gravius communi furto eſt ſacrilegium. Tantâ etiam religione

I. ne:

ne jam pridem calices sacri in Ecclesiâ custodiebantur, ut Eusebiani & Miletiani & quotquot in abdito Arrianismum tuebantur, eùm subornato quodam Ischyrione, Athanasium summis criminibus onerare apud Constantinum vellent, *Calicis fracti* illum accusarint, *Vid. Athan. Apol. II. & Baron. T. III. Annal. A. CCCXXIX. num. 4. & A. CCCXXXI. n. 123.*

QUÆSTIO XXVIII.

An cujusvis promiscuè Christiani sit ordinarias Ministerii Ecclesiastici involare partes, peculiaremve illæ in Ecclesiâ ordinem evincant atque statum?

PRius somniant Anabaptistæ, Scriptura asserit posterius. *Num* enim *omnes prophetæ, num omnes Doctores?* 1. Cor. XII. 29. Neutiquam, sed *alios dedit* Christus *prophetas, alios Evangelistas, alios autem pastores & Doctores.* Eph. IV. qui Auditoribus opponuntur, Eb. XIII. 17. uti & ovibus pastores, 1. Pet. V. 2. Omnes quidem fideles (utriusque & sexûs & Testamenti) audiunt sacerdotes, Ex. XIX. 6. Jes. LXI. 6. Ap. I. 6. V. 10. I. Pet. II. 9. ad offerendum spirituales precum hostias v. 5. Eb. XIII. 15. 16. Ministerium tamen Ecclesiæ ordinarium prohibitum fuit plerisque tribubus, Eb. VII. 13. 14. 15. uti & tunc & nunc fœminis omnibus, 1. Cor. XIV. 34. 35. 1. Tim. II. 11. 12. Quinimò fideles & reges creati sunt II.

ec. nec tamen omnibus regimen politicum competit, sed paucissimis tantùm, Ministris verò Ecclesiæ planè abnuitur Matth. XX. 23. 25. 26. Nec loco 1. Joh. II. 27. Anabaptistæ obtinent, quod volunt. Unctio enim non excludit ordinarios verbi præcones, sed doctrinas tantùm alienas seductorum, textûs συναφείᾳ ita fluente: *Non habetis opus*, qui nostis veritatem & omnia, v. 20. 21. *ut aliquis* eorum, qui vos seducunt, v. 26. *vos* nova *doceat* (adeoque nec Scriptura nec unctionis ministerium excluditur, aliàs & hæc Johannes ipse scripsisset frustra) *sed unctio vos omnia* necessaria veritatis dogmata v. 21. *docet* per verbi v. 5. ministerium v. 7. 14. Nec in Ecclesiâ veteri ἀυθήμερον ἅγιοι καὶ θεόλογοι extabant, ut loquitur Nazianzenus, nec χειροθεσία præcipitabatur, sed in Ministerium non nisi pietatis ac constantiæ, ut & Scientiæ sacræ & multorum specimine meritorumque laude insignes demùm adoptabantur. Præsertim Cornelium, quòd ad Episcopatum haud subitò pervenerit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascenderit, laudat Cyprianus. *Epist. ad Antoniam. f. m. 11.* Philippus qui populo prædicavit, Act VIII. 4. 5. non fuit homo privatus sed thavmaturgus, v. 6. 7. Evangelista c. XXI. 8. & denique Episcopus in Trazelli, Asiæ urbe, siquidem Dorotheo fides.

QUÆSTIO XXIX.

An ad Ministerium publicum vocatio interna sufficiat?

NOn negamus, quòd vocatio interna sit imprimis necessaria, *ικανότης* quippe in donis consistens administrantibus 2. Cor III. 5. 6. 1. Tim. III. 2. 2. Tim. II. 2. 24. & sanctificantibus, 1. Cor. IV. 2. IX. 27. I. Tim. III. 2. 9. IV. 12. Tit. I. 6. II. 7. 8. illa tamen nondum sufficit, sed *τάξις* ac vocatio accedat quoque externa necesse est, ut iis, qui sunt idonei tam sancta demùm provincia ritè committatur, 2. Tim. II. 2. Doctores enim sunt legati, 2. Cor. V. 20. ac Oeconomi, 1. Cor. IV. 1. quorum nullus sibi honorem sumit, sed qui vocatur, Eb. V. 4. nec homo sibi sumere quicquam potest, Joh. III. 27. Quomodo E. prædicabunt, nisi mittantur? Rom. X 15 unde & *αὐτοκλήτων* cursum Deus adeò detestatur, Rom. X. 15. Jer. XXIII. 21. Si verò vocatio sufficeret interna, nec externa *δοκιμασία* accedere deberet, 1. Tim. III. 10. nec *χειροθεσία*, ut in Timotheo 1. ep. IV. 14. II. ep. I 6. quem internè fuisse idoneum nemo dubitat. Hoc ipsum est, quod Ecclesiæ nostræ Art. XIV. A. C. *de ordine Ecclesiastico docent, quòd nemo debeat in Ecclesiâ publicè docere aut sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.* Interim si vocationis nævi externæ ipsum officium redderent irritum, quis in politico statu ampliùs foret tutus?

QUÆ-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854354744/phys_0074
DFG

QUÆSTIO XXX.

An Ministri Ecclesiæ rectè salutentur Magistratus Ecclesiasticus?

HOc quidem titulo rudis plebecula Ministros mactat vel invitos. Ministrum enim esse unà Magistratum s. Dominum ἀντιφασιν involvit, confer 2. Tim. II. 4. ut taceam, quòd Ministerium Ecclesiæ hominem poscat totum, qui curiæ rebus implicari tàm non potest, quàm non decuit Regem Uliam thuribulum. *Quod ad alia officia confertur*, inquit Ambrosius, *hoc Religionis cultui divinoq; officio decerpitur; d. Eug. Sec. C. II. Tom. IV. f. m. 309.* Hinc vanam titulorum pompam non ambimus, nec exemplis Vet Test. singularibus vivimus; sed solius Christi, qui regnum suum de hoc esse Mundo pernegans, Joh. XVIII. 36. Regimen seculare ac judicium detrectavit. Luc. XII. 13, 14 Joh. VI. 15. quin & nobis interdixit, Matth. XX. v. 25, 26. Luc XX. II. 25. 26. 1. Petr. V. 3. Quantum indè ab allotrioepiscopiâ (præsertim Hierarchicorum) 1 Petr. IV. vs. 15. prohibitâ abhorreamus, videas ex nostris passim, *Gerhard. L. d. Minist. §. 196. 245. f. m. 114. 174. C. C. f. 633. Meisn. d. l. L. p. 548. 604. Philos. S. P. III. p. m. 414. C. C. Dunte, p. 654. Balduin. p. 721. König, p. 589. Danh. C. Th. l. p. 1156. Dram. p. 81. Hodom. Pap. l. p. 784. Carpzov. Jurispr Eccl. L. I t. 5. D. LXIV. §. 1. p. 94. & Reinking. Bibl. Polit. L. I. Ax. 34. p. 85.* maximè ex Artic. VII. A. C. abus. sequentia legas: *Non igitur commiscendæ sunt*

potestates Ecclesiastica & civilis. Ecclesiastica suum mandatum habet Evangelii docendi & administrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat Regna Mundi, non abroget leges Magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges Magistratibus de formâ Reipl. sicut dicit Christus: Regnum meum non de hoc Mundo: item: Quis constituit me judicem, Gradus tamen inter Ministros non negamus; DEUS enim alios fecit Apostolos, non omnes, alios, non omnes, fecit Evangelistas, &c. Eph. IV. 11, 12. aliosque aliis subindè instruxit donis, 1. Cor. XII. 4. ne confusio in Ecclesiâ oriatur. c. XIV. 40. Hinc & Basilius: *Quidam in Ecclesiâ sunt velut oculi, ut Seniores, quidam velut lingua, ut Pastores; alii velut manus, ut Diaconi; alii velut pedes, ut qui vilioribus Ecclesiæ Ministeriis serviunt. in Psalm. XXXIII.*

QUÆSTIO XXXI.

An ipsum hominis irregeniti Ministerium sit inefficax?

ABsit, ut malis hîc Ministris patrocinemur seu hypocritis, s. scandalosis, qui lusci ad vitia propria, lyncei ad aliena, foris Argi intus talpæ, festucam in alienis oculis videntes, in propriis trabales non animadvertunt. Episcopum enim decet, imò de jure oportet esse ἀνεπίληπτον, 1. Timoth. III. ℣. 2.

ne

ne vitâ plus destruat, quàm ædificat doctrinâ. Qui verò prædicat aliis, & semetipsum negligit, Rom. II. 18, 21. ex nudâ doctrinâ illâ, quod sine fide est ac charitate, nullum certè emolumentum capiet, Matthæi VII. 22. 1. Corinth. XIII. 1, 2. sed Domini potiùs judicium incurrit, Psal. L. 16, 21. qui enim voluntatem Domini novit, nec facit, duplo vapulabit, Luc. XII. 47. ipsius tamen vim Verbi ac Sacramentorum à bonitate Ministri non suspendimus, quasi DEO non perindè esset, quali utatur organo, cùm etiam per asinum loquelam, per Bileamum maledictum benedictionem, & Oraculum per Caipham expedierit. Nec Jonæ inobedientia, nec avaritia Judæ obstitit, quin Verbum DEI efficacitet uterque prædicârit. Ut taceam Episcopum Laodicensis Ecclesiæ in se cœcum, & tamen stellam fuisse in manu Christi. Apocal. I. 20. III. ℣. 17. Nec vis Verbi à vasis dependet fictilibus; 2. Cor. IV. ℣. 7. sed solius DEI est, Jesai. LV. 10, 11. Roman. I. ℣. 16. cujus fidem hominum incredulitas non reddit irritam; Rom. III. 3. sed Christus ex intentione etiam malâ efficaciter tamen prædicatur. Phil. I. ℣. 18. Uti ex cathedrâ Mosis Pharisæi etiam nequissimi erant audiendi. Matth. XXIII. 2, 3. Uti DEI filios Synagoga quoque adultera genuit, Ezechiel. XVI. 20. XXIII. 37. Uti Zipporæ etiam iratæ circumcisio tamen rata fuit. Exod. IV. 25. Si verò Ministerii efficacia à Ministri qualitate esset pendula, Evangelium foret potentia hominum magis, quàm DEI, qui plantat, & qui rigat, forent aliquid.

aliquid. Quis denique de salutari Sacramentorum Verbiq; usu foret certus? Nemo enim scit, quid sit in homine, 1. Cor. II. 11. Hinc ipse quoq; Augustinus supra citatus in Psalm. X. Tom. VIII. *Christus traditorem suum tantâ patientiâ pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis & ore suo commendatam sicut cæteris Apostolis traderet? Quis vobis fecit Christus, qui eundem traditorem suum, quem Diabolum nominavit, qui ante traditionem Domini nec locidis dominicis fidem potuit exhibere, cum cæteris Discipulis ad prædicandum regnum Cœlorum misit, ut demonstraret dona DEI pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit, per quem accipiunt, qualis Judas fuit. f. m. 74.* Clariùs id veterum quoque similia illustrant: Eadem enim sigilli figura est, sive auro sit, sive ferro insculpta, juxta Gregor. Nazianzen. f. m. 302. & juxta Augustinum, lumen Solis, etsi per loca cœnosa transeat, tamen non inquinatur, semenque fructificat manibus sparsum etiam sordidis, *L. III. contr. Crescent. c. 8. & in Joh. T. VII. f. 249. IX. fol. 46.* Hinc Articulus VIII. A. C. *Quanquam Ecclesia propriè sit congregatio Sanctorum & verè credentium, tamen cùm in hâc vitâ multi hypocritæ & mali admixti sint, licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur, juxta vocem Christi: Sedent Scribæ & Pharisæi in cathedrâ Mosis, &c. Et Sacramenta, & Verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur. Damnant Donatistas & similes, qui negabant, licere uti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum*

lorum inutile & inefficax esse. p. 11, 12. Idem responderunt Tubingenses apud Dedek. Vol. I. f. 548. Canon verò, quem Adversarii obvertunt: *Quod quis non habet, alteri dare nequit*; in causâ valet tantùm principali, neutiquàm verò in organicâ (Ministro Ecclesiæ) hæc enim non agit secundùm propriam formam; sed secundùm virtutem ejus, à quo movetur. *v. Thom. P. III. Q. LXIV. Art. 5. f. m. 134.* Deinde initium habemus omnes à DEO, cui tamen initium non est, cos acuit ferrum, lutum indurat ignis, cùm tamen nec huic durities insit nec illi acies. Quicquid itaque homo nec formaliter, nec virtualiter, nec pro qualitate suæ personæ, nec vi officii habet, alteri dare nequit. Uti verò Haman Mardochæo contulit honorem, quem ipse non habuit, uti Medicus æger decumbenti restituit sanitatem, quâ caret; ut M. thaleros tabellio affert, qui ne unicum quidem possidet; ut corvi Eliæ copiam dederunt panis, qui tamen ipsis copiæ non fuit, sic Ministrum quoque irregenitum organum potiùs Spiritûs S. dixeris, quàm habitaculum. Nec Ministros irregenitos tantùm, sed potiùs heterodoxos significant spinæ nullas uvas ferentes, Matth. VII. 16, 17. & fures, Joh. X. 8, 10. quales fures & in Mosis cathedrâ fuerant, non quidem imitandi, tamen audiendi ac venerandi, uti ex. gr. Pontifex à Paulo reverenter fuit habitus. Act. XXIII. 5. *Mala arbor*, (præsertim Pseudopropheta) quà talis *non fert fructum bonum*, (nedum sanam doctrinam) Matthæi VII. ℣. 18. *Nec homo malus ex malo thesauro boni*

quid promit. Matth. XII. 35. At si Scripturas interpretatur, ex. gr. Hypocrita, aut salutaria fundit præcepta, monita, solatia, &c. illa certè non profert è corde suo; sed ex ipsis Scripturis. Conf. 2. Petri I. 20, 21. Nec administrat talis Minister Sacramenta in suo nomine; sed Domini. Matth. XXVIII. ℣. 19. 1. Cor. I. 13. Nec si peccat, Christum novit, 1. Corinth. II. 8. 1. Joh. II. 3, 4. III. 6 cum salutari scil. cordis πληροφορίᾳ, ex gratiâ tamen præveniente ipsum satis & ad ἀναπολόγητον usque perspectum habet, Ebr. VI. 4 Luc. XII. 47. uti præsertim Bileam vir ille illuminatus, cujus exemplo non intendimus nos probare prophetiam donum omnium esse irregenitorum ordinarium; sed hoc tantùm exindè elicimus, dona administratoria à fide & pietate subjecti non dependere; sed citra sanctificantia etiam subsistere. Accedit & Judæ exemplum, qui non repentè nec demùm post diaboli ingressum evasit malus; sed jam ante fur fuerat, Johann. XII. 6. pridemque audiverat Sathan, Joh. VI. 70. Servum quidem ignaviæ privative commodi suspectum non conducis, nedum à quo proditionis tibi metuas periculum. Dominus autem tam bonus est, ut nullus dubitarit, talentum credere etiam ignavo id defossum è vestigio abeunti, Matth. XXV. 18. pluresque in vineam mittere, in quibus nihil tamen laudare; sed desidiam potiùs ac murmura reprehendere habuit, Matth. XX. 3, 11. quin & in Apostolos legere non tantùm famosissimum Publicanum, Matthæum, c. IX. sed ipsum quoque Proditorem, non obstan-

stante diabolicâ hominis perfidiâ, quam tamen præviderat pridem. Psal. XLI. 10. LX. 14. CIX. v. 9. Quod denique Caiphæ attinet Oraculum, id nec cum serpentis ictu, Genes. III. 15. nec cum lapidis angularis rejectu, Psal. CVIII. 22. nec cum Judæorum vociferatu Matth. XXVII. 25. comparandum; sed longè sublimius & planè θεόπνευστον est, totumque redemptionis nostræ negotium per se directè atque plenè exhibet, Joh. XI. 50. *Immundis* quidem *immunda omnia* adiaphora, de his enim agitur Tit. I. 15. quid hoc verò ad oracula DEI atque Sacramenta?

QUÆSTIO XXXII.

An Ministri ex Auditorii qualitate dijudicari queant, regenitine sint, nec ne?

QUoniam bonum æstimatur ex integrâ causâ, malum verò ex quolibet defectu, ideò ex Auditorio spectatæ virtutis, Doctores ejusdem farinæ colligas quidem, queis id sanè laudi est ac decori, 1. Corinth. IX. v. 2. 2. Cor. I. 14. III. 1. 2. 1. Thess. II. 19. Philipp. IV. 1. proterviæ tamen in Auditorio contumaci causæ longè aliæ, quàm Doctores esse possint, ex. gr. occœcatio Diaboli, 2. Corinth. IV. 3. 4. ut & petræ ac spinæ in ipso agro, Matth. XXIII. 20, 22. unde ad Ministros reprobos N. V. C. ab audi-

torio improbo, quale præterquàm fuit, & Jesajæ. LI. ℣. 4. & Jeremiæ, VI. vers. 10, VII. 13. XX. 8. XXV. 8. XXIX. 19. XXXV. 14. XXXVII. 2. & Stephano, Actor. VII. 51, 57. & ipsi Christo, Proverb. I. 24. Matth. XXIII. ℣. 37. Joh. VII. 48. Deinde semen & pluvia nunquam adeò excidunt in cassum, quin alicubi tamen, etsi minùs animadvertas, fructificent, Jesaiæ LV. 10, 11. Luc. VIII. 8. Dixit quidem Dominus: *Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, avertissent utique eos à viâ malâ, & à cogitationibus suis pessimis.* Jerem. XXIII. 22. Ab hoc tamen particulari ἰδιοκεφάλοι nimis liberaliter & planè ἀπαιδεύτως consequens deducunt universale: E. ubi Auditores à viâ suâ malâ & cogitationibus pessimis non avertuntur, ibi nec præcones verba DEI nota fecerunt. Etsi enim in Syllogismis hypotheticis à negatione consequentis ad negationem antecedentis valeat regressus, ejusdem tamen consequentis quantitas usque retinenda est. Pariter aliàs & ex Matth. XI. 21. colligere fas foret: *Si Tyri & Sidone contigissent signa in Coroazim & Betsaidâ facta,* Tyrii ac Sidonii *in sacco & cinere resipuissent*; E. ubi nulla sequitur resipiscentia, nulla quoque signa præcesserunt, E. ne in Corazim & Betsaidâ quidem ulla, quod tamen contra ipsam historiæ literam. Uti itaque de pœnitentiâ tantùm Tyriorum ac Sidoniorum l. c. sermo est, & in particulari ab illius tantùm negatione ad negationem signorum apud ipsos factorum ritè procedimus: *Si Tyri & Sidone contigissent signa in Corazim & Betsaidæ facta, in sacco ac cinere resipuissent,* At-

Atqui Tyrii & Sidonii in sacco & cinere non resipuerunt, E. (quia) illa inter ipsos signa non contingerunt. Ita & ex Jer. XXIII. 22. *Si stetissent in consilio meo & nota fecissent verba mea populo meo, avertissent utique eos à viâ malâ & à cogitationibus suis pessimis*; hoc tantùm sequitur: Atqui Judæi tempore Jeremiæ non fuerunt à viis suis malis & cogitationibus suis pessimis aversi, E. (quia) Pseudoprophetæ verba comminationum divinarum ipsis non fecerunt nota, sed inverterunt v. 36. Quid hoc autem contra præcones orthodoxos, qui verbum Dei non invertunt, sed rectè ac sincerè prædicant, etsi resistibiliter, Matth. XI. 17. I. Cor. I. 18. 2. Thess. II. 10.

QUÆSTIO XXXIII.

An Magistratui Politico in Testamento etiam Novo cura Religionis competat?

DOnati quidem impia vox fuit, *apud Optatum libr. III. contr. Parm. Quid Imperator cum Ecclesiâ?* quas quoque tibias inflant Weigelius, *P. II. Postill. f. 327.* Poiret. *L. VII. œconom. §. 8. 9. 10, p. m. 225.* Dippel. Glaub. Bekänntus. *p. 61. & 63.* aliique. Contrarium verò ex 1. Tim. II. 2. facilè patet, ubi injungit Paulus *preces pro omnibus hominibus*, queis ad veritatis agnitionem perveniendum, v. 4. *pro Regibus & omnibus in eminentiâ constitutis, ut vitam agamus tranquillam in omni*, en verba Apostoli haud adeò laxa aut vaga sunt, ac illa

Virgilii: *DEUS nobis hæc otia fecit*; sed limitata *pietate ac honestate*, ut taceam, quòd otia faciens Poëtis, favere & Poësi præsumatur, sic longè fortiùs ex Apostoli verbis Magistratui Politico Religionis curam vindicamus h. m. Quicunque status ideò institutus est Deoque prece commendandus, ut quietè vivamus *in omni* non tantùm secundùm tabulam secundam honestate, sed & primam *pietate*, illi cura competit & religionis; Atqui Magistratus est talis status, E. competit ipsi cura religionis. N. mioperè quidem connexionem Majoris Dn. Thomasius subvertere laborat im Fürsten-Recht *p. 39.* sed fundamentum illa habet immobile, pridem à Theologis nostris præsertim S. Schmidio sequentibus ostensum: *Quando oramus Deum, ut per Magistratum nobis vitâ det piam & honestam tranquillitatem: oportet preces nostras suum habere fundamentum in promissione & institutione divinâ. Ubi verò istud fundamentum inveniemus nisi in institutione, quâ Magistratus eum in finem Ordinatus est? Ut possimus orare: Da, Domine Deus, ut sub Regibus & Magistratibus nostris tranquillè, piè, honestè vivamus: exaudi nos, quia eum in finem Magistratus nostros instituisti. Part. II. Colleg. Bibl. p. 352.* Si dicas, sic curam religionis fore hominum promiscuè omnium, quòd pro omnibus intercedendum. Dudum respondit Brentius ad Act. XVIII. 15. *Omnium hominum nedum Magistratus interest veram religionem cognoscere & pro viribus juxta modum suæ vocationis adjuvare & defendere. Proindè impietas est, quòd Gallio non requirat veram religionem eamque quantum magistratui civili licet,*

ab

ab hæreticis, schismaticis & aliis Adversariis defendat. Tom. VII. f. 349. præterea excipit quoque Pufendorf. *Pro quibus vota concipere jubebat tùm Apostolus, Ethnici erant principes, queis nulla adeò pietatis cura erat cumprimis Christianæ. d. Habit. Relig. p. 387.* At Reges quoque ethnicos non tantùm ad aperiendas Christo portas præstandaque servitia esse obligatos ex Ps. II. v. 10. 11. 12. XXIV. 9. XLVII. 10. Jes. LI. 23. LX. 3. 10 16. Dan. VII. 27. Apoc. XXI. 24. liquet, sed multos ipso etiam actu curasse Religionem & Philosophorum scripta & Legislatorum edocent exempla. Confer Dan. III. 29. Jonæ III. 7. Si Religio enim est *propugnaculum potestatis*, juxta Platonem, si juxta Ciceronem est *societatis humanæ vinculum*, si, docente Lactantio, *hominis sacramento obstringit, ne furta ne latrocinia committant, ne fidem fallant, ne depositum appellati abnegent*, Si absoluto dominio Religio maximè Lutherana favet, *uti est apud Masium interess. Princ. p. 107.* à curâ religionis, unde Magistratus auctoritatem, valorem humanæ leges, & universa societas humana concordiæ nexum sortiuntur, qui excludi poterit princeps, præsertim fidelis & orthodoxus, qui ceu primarium Ecclesiæ membrum in curæ illius partem omninò venit? Si enim ne Pater familiâs quidem superstitionem, idolomaniam, atheismum, &c. tolerat, quantò magis resistere iis supremum Reipl. Patrem decet, imò oportet, & si parentibus parendum in omnibus, adeòque & sacris Col. III. 20. cur non æquè & Patriæ Patri? Etsi ille in productionem boni supernaturalis directè ac immediatè non influat, circa exercitium tamen religionis

gionis om nisque pietatis publicum, ut & gubernationem Eccl esiæ visibilis externam est occupatus. Quamvis etiam Regnum Christi non sit de hoc mundo, Joh. XVIII. 36. est tamen in hoc mundo, unde nec curam secularium principum abhorret. De tali quidem curâ nihil disertè habetur in sede Magistratûs propriâ Rom. XIII. nisi quòd v. 1. ἐξουσία ὑπερέχουσα s. supereminens non tantum civilia sed & sacra; πᾶσα ψυχὴ verò personas quoque Ecclesiasticas, cùm hæ quoque gladio terreri regive queant, & τὸ ἀγαθὸν qualecunque v. 3. bonum etiam Ecclesiæ complectitur, ubi potestas itidem nec νομοθετικὴ nec δικαστικὴ clariùs exprimitur, quarum tamen neutram judicibus abjudicabis. Hinc graviter Augustinus: *Quis mente sobrius regibus dicat? Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse vel religiosus, sive sacrilegus, quibus dici non potest, non ad vos pertineat in regno vestro quis velit pudicus esse quis impudicus. epist. L. f. m. 217.* Gemella habent Articuli Schmalkald. *d. Pot. Pap. p. 350. Imprimis oportet præcipua membra Ecsiæ Reges & principes consulere Ecclesiæ & curare, ut errores tollantur & conscientiæ sanentur, sicut DEUS nominatim Reges hortatur: & nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Prima enim cura Regum esse debet, ut ornent gloriam Dei. Quare indignissimum fuerit, eos conferre autoritatem & potentiam suam ad confirmandam Idololatriam & cætera infinita flagitia & ad faciendas cædes sanctorum.* Imò communi alias pontificii cleri sententiâ insuper habitâ, ipse Thomas Aqui-

Aquinas *libr. de Regimine Principum* (modò hic illius genuinus sit fœtus) dixit: *Finis, ad quem Rex principaliter intendere debet, in seipso & subditis, est æterna beatitudo, quæ in visione Dei consistit. Et quia ista visio est perfectissimum bonum, maximè movere debet Regem & quemcunque Dominum, ut hunc finem subditi consequantur.* Ipsi Imperatores hoc agnoverunt. Arcadius suas ad Flavianum Antiochiæ Episcopum literas (quæ extant apud Georgium, Episcopum Alexandr. in vitâ Joh. Chrysostomi) hoc regio planè ac Christiano principe digno auspicatus est exordio: *Nulla res æquè nos habet solicitos, ac sanctarum Ecclesiarum cura, & fidei in Christo firmissima basis, per quam salvamur, & subjiciuntur nobis barbaræ nationes. Nam neque viribus nostris hoc agimus, neque robore equorum & curruum bellicorum, sed virtute Dei roboratis omnia nobis prosperè cedunt.* Paria & Theodosius ac Honorius ad Marcellinum perscripserunt: *Neque aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiat.* Et Theodosius in epistolâ ad Cyrillum: *Cæsarei est muneris, ut non solùm pacificè sed piè etiam subditi vivant.* Quod etiam sub prima statim regiminis sui auspicia Wüttenbergico Duci CHRISTOPHORO scopus fuerat præcipuus, ità enim mox in primâ Cynosuræ suæ Ecclesiasticæ editione: **Als wir zu angetrettener unser Regierung / uns nothwendig und zeitlich erinnert / was uns von GOTT dem Allmächtigen befohlen / auch was Ambt von seiner göttlichen Allmächtigkeit wir fürgesetzt / allen müglichsten und**

besten Fleiß anzuwenden / auff daß unser geliebte / getreue Landschafft / und von GOTT dem HErren befohlene Unterthanen / ihrer Seelen und Leibes halben und also zum ewigen / und zeitlichem / recht und wohl unterwiesen / und regiert würden / & paulò pòst: Wir haben für nutz und nothwendig angesehen / die ordinationes unserer Kirchen in ein Werck verfassen zulassen / in deme auch unserer getreuen Landschafft ewige und zeitliche Wohlfahrten zuschaffen / welche hierdurch zu rechter Erkanntnus GOttes und seines Sohnes unseres Herren Christi bewegt / daraus auch Frucht brächten / und sich in ein Christlich Leben anschickten / ꝛc. Hæc autem omnia ἀλλοτριεπισκοπίας damnare animum prodit perquàm ingratum præsertim subditi. *Sed tritiora illa sunt passimque obvia, quæ pervisurus evolvat Brentii nostri prolegomena Apol. Conf. W. fol. 203. usque ad fol. 228. Gerh. L. L. VI. f. 297. C. C. f. 926. Defens. Pupill. Saxon. p. 33. -- 1006. Dorsch. Theol. Mor. p. 115. Hülsem. Brev. C. XIX. §. 18. XX. 8. p. m. 624. 667. Osiand in H. Grot. p. 462. Wandalinum d. Jure Reg. L. IV. c. 2. p. 502. Th. Reinking. d. Regim. Sec. & Eccl. p. 308. Walt. Q. Misc. p. 569. König. C. C. p. 734. Rivet. T. I. f. 1371. Turret Th. III. p. 357. Trigland. Antapol. p. 721. Tilen. Syntag. P. II. 180. Carpzov. Jurispr. f. 3. H. Grot. d. Imp. Summ. Pot. circa Sacra, Ant. d. Dominis d. Eccles. L. VI. c. 7. f. 122. & Dn. Rechenberg. Dissert. Pol. Part. II. p. 614.*

QUÆ-

QUÆSTIO XXXIV.

An ad veram fidem vi quis externâ cogi possit?

HOc non dicimus, tanta enim Violentia non tantùm est I. iniqua, nos quippe non dominamur fidei, 2. Cor. XIV. 2. sed conscientia Dei est solius, 1. Petr. II. 19. II. Minùs idonea, Conversio enim est ex gratiâ Dei, Act. XVIII. v. 27. qui solus dat velle, Phil. II. 13. III. Noxia, religiosos enim adeò non efficit, ut effingat potiùs hypocritas *purpuræ non DEO thurificantes*, ut Themistius loquitur apud Socratem H. E. L. III. c. 21. & H. Grotius, *d. verit. R. Chr. Lib. VI. Coactus, qui credit, non credit, sed credere se simulat, ut malum vitet*; Sed etiam IV. Aliena à praxi Apostolorum, qui non ore gladii, Jes. II. v. 4. Matth. XXVI. v. 52. sed gladio oris, 2. Cor. X. v. 4. rationem gentium obsequio fidei subegerunt. V. Inimica indoli Religionis Christianæ, quæ spontanea esse debet, Ps. LI. 14. CX. 3. unde & Pufendorf: *Si quis hucusque potestatem summorum imperantium extendere instituat, velut penes ipsos quoque sit religionem Christianam, aut quædam ejusdem dogmata per modum legit civilis sancire, seu iisdem sanctionem legis civilis addere, aut pœnis temporalibus aliquem*

cogere ad amplectendam religionem, vel ad profitenda aut abneganda certa dogmata, de quibus inter Christianos dissensio est, is genium religionis Christianæ, modumque ejusdem propagandæ à Christo & Apostolis adhibitum planè evertit, ac fidem nostram, quæ gratiâ Spiritûs S. excitatur, & πληροφορίᾳ plena fiducia cordis constat, transmutat in externum obsequium linguæ ad verba formanda à sensu animi planè discrepantia, d. *Habit. Relig. p. 228.* & paulò post *p. 222. De cætero per vim pœnasque humanas intentatas illuminatio mentis, & intrinsecùs assensus dogmatum rationis sibi relictæ captum exsuperantium haudquicquam produci potest. Sensa autem animi dissimulare & aliud animo tectum & aliud linguâ promtum habere ac vocabulorum in summis labiis natorum recitatione defungi, adhibitis quibusdam ritibus corporis, nihil minùs quam religio est, ubi internus ac debitus animi habitus motusque abfuerit.* Denique VI. nihil minùs quam proportionata animæ, cui nec imponere assensum nec fidem extorquere potest. *Quis imponat mihi necessitatem credendi quod nolim, vel quod velim, non credendi?* inquit Lactantius *L. V. Inst. c. 19. & 20. Non est opus vi & injuriâ, quia religio cogi non potest, verbis potiùs quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas*; & paulò post: *Longè diversa sunt carnificina & pietas. Non potest pietas, cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi, sed meritò non audent de rebus quicquam docere divinis, ne à nostris derideantur & à suis deserantur. Defendenda enim religio est non occidendo sed monendo; non sævitiâ*

sed

ſed ſapientia, non ſcelere, ſed fide. Illa enim malorum ſunt, hæc bonorum. Et neceſſe eſt bonum in religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, ſed polluetur & violabitur. Nihil eſt enim tam voluntarium quàm religio, in quâ ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata jam nulla eſt. Recta igitur ratio eſt, ut religionem patientiâ vel morte defendas, in quâ fides conſecrata & ipſi Deo grata eſt, & religioni addit autoritatem. Nec adeò diſſentit D. Auguſtinus, cujus mentem D. Veihl p. m. peculiari Diſquiſitione tam luculenter eruit, ut de illâ nemo poſthâc vel tantillum ambigere jure poſſit. Contrarium etiam *compelle* illud non evincit, Luc. XIV. 23. cùm nec invitati fuerint hæretici, nec vocatores iis manus, nedum laqueos, intuliſſe legantur.

QUÆSTIO XXXV.

An Hæretici ſint morte plectendi?

NEque hoc dicimus. Illos quidem quos juxtim & maledicos deprehendimus & maleficos, digna factis manent, nec ex affectato mentis errore impunitas ſceleribus accedere poteſt capitalibus, unde obſcuras luſorum chartas & carnificum flammis videas illuſtrari. Chriſtianos verò ob errorem mentis ſimplicem, ob quem commiſeratione digni melùsque inſtruendi ſunt, igne, rotâ, gladio tollere, Antichriſtiana (& conſcientiarum) tyrannis eſt.

Dan. VIII. 24. Ap. XI, 7. XII. 15. XVIII. 6. à quâ multum abhorrent Christi l. scopus, qui est perdere non personas 2. Cor. X. 8. sed errores tantùm, 2. præceptum: *Sine crescere* Matth. XIII. 30. 3. arma, quæ spiritualia, 2. Cpr. X. 4. 4. Spiritus, qui lenis, Luc. IX. 55. 5. regnum, quod non de hoc mundo, Joh. XVIII. 36. Devitari jubentur hæretici, Zit. III. 10. non tolli de vitâ. Quàm multis loliis, quæ e. g. ut Augustinus, in semen verti bonum possunt, præmaturo excidio conversio præripitur? Hæretici audiunt quidem lupi, fures &c. Matth. VII. 15. Joh. X. 8. non tamen propriè tales, possunt enim in oves adhuc mutari, E. nec gladio proprio sed verbi tantùm metaphorico excidendi laqueoque syllogistico sunt suspendendi. Licet Idololatras ac Pseudoprophetas V. T. configendos legas, Deut. XIII. 5. Zach. XIII. 2. quod de filiis quoque immorigeris fuerat præceptum, Ex. XXI. v. 15. hoc tamen contra N. T. homines non militat, ubi magis meretur veniam hæresis, quòd cœcitas in Mysteriis fidei est, quàm idolomania lumini & naturali adversa. Nec denique sequitur: Hæretici sunt excommunicandi. E. & interficiendi, nisi & gulosos, & scortatores, & litigiosos &c. occidere velis. Hæc constans nostræ Ecclesiæ thesis est ac sententia, quam post multos alios fusiùs prosequuntur B. noster Thumm. *de Hæreticis non occidendis sed coercendis*, Balduin. *T. II. Disp. Witteb. p. 479.* & Affelmann. *de hæreticis ferendis non auferendis Oper. P. I. p. 613.*

QUÆ-

QUÆSTIO XXXVI.

Docendine E. libertiniſmus ſit tolerandus, an infrena quidvis credendi ac diſſeminandi libido minimùm injunctâ emigratione ſit compeſcenda?

Libertas ejusmodi arridet hodiè haud paucis. Multi parùm à Spinosâ abſunt eò dementiæ progreſſo, ut jus contra revelationem quoque divinam quidvis ſentiendi, & quod ſentiat, pro libitu dicendi, unicuique vindicare ſuſtinuerit *c. XX. Tract. Theol. Polit. p. m. 225.* Jus verò non eſt, ut demonſtravit J. Muſæus *d. libert. Philos. p. 91.* ſed iniquitas potiùs ſummæ periculique pleniſſima. Connixiſſe enim in his quàm irreparabile dederit damnum, triſtis paſſim experientia edocet. Parum quippè fermenti maſſam mox univerſam corrumpit, 1. Cor. V. 6. ſerpitque gangrænæ ad inſtar heterodoxia, 2. Tim. II. 17. unde ipſe Chriſtus tolerantiam hæreſium in Epiſcopis Aſiaticis culpavit, Ap. II. 14. 15. 16. 20. Nec malè A. H. *in Specim. th. C. II. p. 96. Quot tolerantiæ transactiones, tot nova ſchismata, tot ex vulnere impuro purulenta ulcera interitum Eccleſiæ minitantia, tot diſſidiorum diuturna imò propetua ſemina, tot funeſtiſſimi arietes corpori Chriſti ſubvertendo, lacerando, diſſipando ſuppoſiti, aliis in Atheiſmum provolutis.* Errores itaque in primâ ſtatim herbâ ſtrangulari juvat, non quidem tantâ cum vio-

violentiâ, ceu apud Sleidanum *Lib. X. d. stat. Relig. Anabaptistæ Adversarios malè mulctatos possessionibus dejiciebant, deinde simùl armati concurrunt, & quicunque non essent ipsorum sectæ, statim ex urbe propellunt, nullâ nec ætatis habitâ ratione, nec sexûs, ita quidem, ut in his turbis atque fugâ præcipiti fœminæ aliquot gravidæ abortum facerent.* At errantes in regiam veritatis viam reduci præstat, quàm longiùs propelli. Unde non quidem ad fidem, ad fidei tamen media, audiendas quippe conciones, nî pacta obstent majusve periculum, cogi debent, interdictis falsæ religionis exercitiis. Præcipuæ tùm Ministerii partes sunt, seductis advigilare, non sine curâ ac precibus, Phil. III. 2. eximere errores, Tim. II. 24. Tit. I. 9. dehortando instare, Tim. III. v. 10. tandemque excommunicare, 2. Thess. III. 14. 1. Tim. VI. 3. 5. 1. Tim. I. 20. Si verò nec excommunicatio quid proficiat, sed seducti in seductores ac Hæresiarchas planè degenerent, omnia nostra sacra non tantùm negligentes, sed & contemnentes, eos emigrare interest, non quidem in errorum pœnam, sed offendiculi aversionem, ipsius Apostoli voto: *Utinam abscindantur, qui vos labefactant*, Gal. V. 12. ubi per apocopen ad avertendum quippe contagium sufficientem emigratio potiùs quàm tantùm excommunicatio intelligenda venit. confer. 1. Cor. V. 13. Eadem & Pufend. subministrat, *d. habit. Relig. p. 231. Si quis contra docere aggrediatur, præsertim circa capita summam religionis Christianæ tangentia, is ut absistat monendus, & si quid rationum pro suâ sententiâ adferat, solidè redarguendus, convictoque silentium imponen-*

ponendum est. Si ne sic quidem quiescere velit, civitate ejiciendus est. Nam cùm hæreticum hominem devitari jubeat Apostolus, & verò à nobis postulari nequeat, ut in unius aut paucorum heteroclitorum capitum gratiam aliò migremus, consequens est, ut ille solum vertat, postquàm legitimè convictus & monitus pervicaciter errorem suum fovet & periculum est, ne alios cominus contagio afficiat. Uti itaque Abraham è domo suâ dimisit Hagarem, uti David è regiâ suâ impios exterminavit, Psal. CI. 3. 5. 8. 9. sic hæreticos quoque Arium sc. ac assecias Constantinus M. non morte ipsâ sed exilio tantùm affecit. Quis autem sanæ mentis affirmet, quòd pientissimus Imperator, proscribendo hæreticos, unà & Spiritum S. excusserit? Contrarium demonstrat, quæ, Eusebio teste, & postea edidit, opera certè Spiritûs non carnis, præcipuè baptismus tot suspiriis experitus, tantâque cum devotione susceptus, quem placida ἀνάλυσις ipso Pentecostes festo excipiebat. Pariter hæreticis exilia auguratus est Augustinus *ad Gaudent. L. II. c. 2. Tribunus ad quem loqueris, non tale præceptum accepit ut occidamini, sed ut corrigamini. Quodsi nolueritis, ne correctionem impediatis aliorum, in exilium mittemini, T. VII. f. 336. & 341. Mitiora in vos constituit Imperator propter mansuetudinem Christianam. Exilium vobis voluit inferre, non mortem.* Gemella quoque Luth. habet: Hiemit wird niemand zum Glauben gezwungen / dann er kan dannoch wohl glauben / was er will. Allein das Lehren und Lästern wird ihm verbotten / damit er will GOtt und den Christen ihre Lehre und Wort nehmen /

und will solches dannoch unter derselben Aigenschutz und Gemeinschafft aller weltlichen Nutzung zu ihrem Schaden thun. Er gehe dahin/ da nicht Christen seyn / und thue es daselbst / dann wie ich mehr gesagt; Wer bey Burgern sich nehren will / der soll Stadtrecht halten und dasselb nicht schänden und schmähen / oder soll sich trollen. *in Psal. LXXLII. T. V. Jen. f. m. 156. & in Libb. Symb. p. 361. 362.* Rebus ità se habentibus hæreticorum migratio, ne pœnæ quidem rationem habet, uti iterum Augustinus: *Faustus convictus vel confessus intercedentibus Christianis levissimâ pœnâ, si tamen pœna dicenda est, in insulam relegatus est, quod suâ sponte quotidiè servi DEI faciunt, se à turbulento strepitu populorum removere cupientes; Lib. V. c. 8. contr. Faust. T. VI. f. m. 229.* Christus quidem neminem relegavit, at nec adulteram damnavit Joh. VIII. 11. nec Judicem secularem egit, Luc. XII. 14. Ergone nullus hodiè judex esto, à quo adulteræ condemnentur? Non obstante regno suo spirituali Christus nihilominus nummularios flagellis expulit, quin & Ananiam prostravit ore Petri, sic illi regno nec hæreticorum rejectio repugnat. Si dicant ἑτεροδιδασκαλοῦντες, se per conscientiam nec abire posse nec tacere, nos per conscientiam infrenum ejusmodi θέλημα ac ἴδιον non possumus sufferre, 2. Petr. I. v. 20. 21. Propheræ enim Prophetis sint subjecti, 1. Cor. XIV. vers. 29. 31. Judicium denique, quo truculenta synedrii cogitata sufflaminavit Gamaliel, Act. V. 38. 39. minimè favet Libertinis, horum enim vitam nec petimus, ut Judæi Apostolorum v. 33. nec de doctrinâ ipsorum, quòd

ex

ex hominibus sit non Deo, dubitamus, nec in Ecclesiâ agimus presâ, ut Judæi v. 28. ubi intempestivi conatus plus periculi atque damni afferunt quàm commodi, uti e. g. Theudæ ac Judæ Galilæo, v. 36. 37. *vid. Dorsch. Theol. Mor. p. 138. & Dissert. J. G. Bajeri de Consilio Gamalielis.*

QUÆSTIO XXXVII.

An benedictio Neogamorum Ecclesiastica sit necessaria?

NUllibi quidem specialiter præcepta est, aut instituta, de necessitate inde conjugii absolutè, ut Pontificii vellent, non est, sed hoc citra illam, e. gr. inter infideles, ex suis causis completur. Requiritur tamen illa ad matrimonium sanctum, Christianum, benedictum ac notorium, secus ac Brovvnistæ, Independentes ac Anabaptistæ somniant, inter quos tanta inde divortiorum frequentia ac licentia, contra Christi interdictum, Matth. XIX. 6. Si verò omnia in nomine Jesu auspicanda. Col. III. 17. Si omnia sanctificantur per verbum ac preces I. Tim. IV. 5. Si conjugium in omnibus esse honorabile debet, Eb. XIII. 4. & non nisi in Domino ineundum, 1. Cor. VII. 39. Si nuptiis clandestinis nihil turpius, si denique ipsi statim Protoplasti solenniter juncti fuerunt, ipsius Dei manu benedicentis, hierologia non nisi publica sufficiet, cui totius quippe

concionis Amen respondere potest, unde & Ambrosius: *Conjugium velamine & sacerdotali benedictione sanctificari oportet. T. III. ep. 70.* Utut itaque desponsatorum concubitus, qui hierologiam prævertit, scortatio non sit, in Ecclesiæ tamen impingit leges, ex omni parte legitimos inde natos quis statuat, etsi nec dixerim spurios. *v. Tarnov. de Conjug. p. 703. & Menzer. Disp. de Sponsis ante solennem benedictionem concumbentibus. Append. Disp. Giess. p. 846.* & Würtemb. Ehe-Ordnung *p. 16.*

QUÆSTIO XXXVIII.

An certis precum formulis uti conveniat?

NEgant Brovvnistæ, Indepedentes &c. tantâ cum vehementiâ, ut orationem quoque Dominicam damnent. Illæ autem non tantùm in V. T. vigebant, quantum ex Num. VI. 23 - 26. 2. Par. XXIX. 30. 25. Joel. II. 17. & Psalmis constat, sed in N. quoque à Paulo commendatæ Eph. V. 19. & ab ipso Christo frequentatæ sunt, Matth. XXVI. 30. XXVII. 46. Luc. XXIII. 46. qui formulam precandi & novam superaddidit ac præscripsit, dicens: *Si oratis, dicite;* eodem tenore pòst & Matth. VI. 9. Luc. XI. 2. repetitam. Ut taceam veterum liturgias, hymnos & *carmen* præcipuè, quod illi Christo ante lucem stato tempore dicere secum invicem soliti fuerunt, teste Plinio L. X. *ep. 97. p. m. 593.* Quæ eò tamen trahenda non sunt, ac si in solis hujusmodi formulis semper

per acquiescere quemvis, & adultiores quoque in fide, qui proprio rem remigio gerere possent, verbis nihilominus alienis solicitudines proprias exponere oporteat. Spiritus Gratiæ enim atque precum, Zachar. XII. 10. qui intercedit pro nobis στεναγμοῖς ἀλαλήτοις Rom. VIII. 26. ad formulas non adstringitur, queis tantùm infirmitati maximè rudiorum succurritur, quibus etiam quòd ex Scripturâ, quæ tota Spiritus & vita, excerptæ sunt, Spiritus S. potiùs cooperatur, quàm compescitur. Hinc preces ex ore præeuntis Presbyteri ad Deum fundere ceu fas ac utile supponit Paulus quoque 1. Cor. XIV. 16. Nec lectionem certarum ejusmodi precationum ab hominibus juxta normam divinam compositarum ex Libris, quales sunt, Agendorum Ecclesiasticorum, esse prohibitam Ecclesiæque Ministro indignam, ut vult Jansonius, probatur ex locis Ex XX. 4. 5 XXX. 9. Ps. CXLI. 1. 2. Ap. VIII. 3. Lev. X 1. Jes. XXIX. 13. coll. Matth. XV. 9. Rom. VIII. 26. Eph. IV. 8. I. Pet. II. 5. ut singula evolventi patebit. Posito etiam in Ecclesiæ nostræ litaniis magnam partem corporalia tantùm peti, illæ tamen eapropter eliminandæ non sunt, cùm temporalia quoque Dei dona sint in pane ἐπιουσίῳ i. e. ad sustentandam substantiam πρὸς ἐπιοῦσαν ἡμέραν necessariò comprehensa, unde in ipsis quoque scripturis tot preces provictu, Prov. XXX. 8. Psal. CXLIV. 13. 14. II. Cor. IX. 10. I. Tim. IV. 3. 4. potu Ex. XVII. 4. Num. XX. 6. Jud. XV. 18. pro pluviâ Jac. V. 18 pro sanitate Num. XII. 13. I. R. XIII. 6. Mat. VIII. 2. 6. IX. 27. XV. 22. XX. 30. Joh. IV. 47. Jac. V. 16.

liberatione ab hostibus & victoriâ Ex. XVII. 11. 1. Sam. VII. 9. Jud. III. 9. 15. IV. 3, VI. 6. X. 10. II. XIX. 19. 2. Par. XX. 3. quas supplicationes Deo omnes cordi fuisse, singularum gratiosa edocuit exauditio. Hinc hujusmodi liturgiis & verus Ecclesia usque insistit. *Pro arcendis hostibus*, inquit Cyprianus ad Demetrianum, *& imbribus impetrandis & vel auferendis vel temperandis adversis rogamus semper & preces fundimus*, Cyrillus item Hierosolymitanus Catech. mystag. v. *Obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro ægrotis & afflictis, & in summâ pro his omnibus, qui egent auxilio.*

QUÆSTIO XXXIX.

An ad recitatum nomen Jesu aperire caput oleat superstitionem?

QUi honorem illum ac venerationem Salvatori suo invident, sub prætextu Zeli adversus superstitionem, hanc nobis ceremoniam exprobrant. Verum enim verò nomen Jesu est super omne nomen, omni veneratione cultuque dignum, Phil. II. 9. 10. 11. quò & capitis denudatio spectat, 1. Cor. XI. 4. Si facta principis mentione caput adaperis, cur ad recitationem illius, qui Princeps vitæ, Goel ac Evergeta, caput non nudes, nec flectas genu? Quod ad Patris nomen eadem reverentia non exhibetur, non

non est ex prohibitione, sed Ecclesiæ liberâ consuetudine. Posset & ad illius pronunciationem caput aperiri, sed honorem illum Ecclesia ad nomen Jesu adhibuit, ut se hâc notâ distingueret ab illis, qui ab exordio N. T. nomini, officiis ac cultui Jesu Christi se opposuerunt, Patri nullam de essentiâ moventes controversiam. Præterea, quòd consimilis cultus nec cæteris Christi nominibus exhibetur, est ex ἐξοχῇ nominis Jesu, quòd id est compendium omnium, quæ ad Salutis nostræ acquisitionem faciunt. Denique nulla in metu habenda superstitio; quia cultus religiosus non terminatur in nomine, sed ad illius auditum in personâ, quæ nomine illo eminet. Quàm intempestivus itaque Zelus fuit ac planè indignus, quòd Juvenis ille ob honorem talem ad mentionem nominis Jesu factam Salvatori suo exhibitum, non tantùm à Concionante vehementer increpatus, sed à lictoribus quoque prehensus inque carcerem per triduum detrusus fuit. *Hæc est*, J. Wolfii JC. judicio, *ultimæ senectæ perversi hujus mundi, & in reprobum dati sensum pervicacia, ut homines impietate & malitiâ etiam diabolos superare contendant, atque minus honoris & reverentiæ præstent Deo, Christoque Redemtori suo, quàm de ipso Satanâ memorarunt veteres. Nam in vitis Patrum & speculo exemplorum reperitur, quòd diabolus aliquando ingressus templum, & videns quendam ad pronunciationem nominis Jesu non incurvare se, nec aperire caput, alapam ei infregerit, & summam ingratitudinem turpiter exprobraverit. Tom. II. Memorabill. f. 1024.*

QUÆ.

QUÆSTIO XL.

An convivium agere aut inire pietati officiat bonisque moribus?

PEr se neutiquam, sed tantùm per accidens, unde in luxum ipsi toto quidem die invehimur, juxta & Scripturam, Proverb. XXIII. 20. Luc. XXI. 34. & Cynos. Eccles. Würtemb. p. 457. Cùm Oslorodo tamen, Anabaptistis modernisq; Hypocritis non facimus, qui alienâ vivere quadrâ & epulas nihilominus omnes Theonino dente rodere consueverunt, quibus Pharisæi præluserunt, qui camelos imò viduarum ædes degulantes muscas percolarunt. Ille vero convivia non tantùm iniit, sed certis quoque regulis circumscripsit, Luc. V. 29. VII. 36. XIV. 8. 13. Quis itaque vitii arguat hospitalitatem, quam ipse Salvator adeò extulit? quis convivium carpat, si servatur modus? Esth. I. 8. si precibus condiatur Matth. XIV. 19. piisque colloquiis, Joh. XIII. 13. ut Ecclesiæ veteris agapæ. confer. Act. II. 46. 47. *Non priùs discumbitur*, scribit Tertullianus in Apol. c. XXXIX. f. m. 879. *quàm oratio ad Deum præguslatur, editur, quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina ut quisq; de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere, hinc probatur, quomodo biberit.*

beris. Æquè oratio convivium dirimit, inde discedi-tur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint quàm disciplinam. De recto conviviorum usu pleniores crateres qui desiderat, abunde inveniet *apud Clement. Alex. II. Pædag. c. 4. f. 163. B. Thum. in Decad. p. 426. Brodm. L. d. leg. C. 27. f. m. 88. Feurborn. Anti Ostor. p. 426. Dieterich. in Sap. XIX. 13 f. 1156. Analys. I. 196. II. 266. 268. 442. 445. 452. III. 487. Sanct. ad Sam. f. 451. Serar. in Judith. f. 253. Aret. probl. CLII. f. 512. Voet. Disp. T. IV. p. 386. Polit. Eccles. P. I. L. 2. p. 143. & Limborch. f. m. 518.*

QUÆSTIO XLI.

An omne peccatum sit remissibile?

UTique omne est remissibile, Rom. V. 20. præter id unicum in Spiritum S. quod excipit solum ipse Christus, Matth. XII. 31. 32. ubi dicit: *Quodvis peccatum & blasphemia remittetur hominibus. Et quisquis dixerit verbum adversus Filium hominis, remittetur ei, qui autem loquutus fuerit adversus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, nec in futuro.* Quem actum enim notat τὸ ἀφεθήσεται in reliquis peccatis, eundem etiam vi oppositionis negabit τὸ οὐκ ἀφεθήσεται in peccato in Spiritum S. At τὸ ἀφεθήσεται actum notat primum non secundum, quis enim dicat, peccata reliqua remitti actu secundo omnia? E. & τὸ οὐκ ἀφεθήσεται negat actum primum

in peccato in Spiritum S. Quò spectat & ἀδύνατον pœnitentiæ Eb. VI. 4. & jactura hostiæ c. X. 26. & exclusio intercessionis, 1. Joh. V. v. 16. Nec tamen causa irremissibilitatis se tenet ex parte Dei, ac si Gratia Ejus Filiiq; meritũ ad peccatores in Spiritum S. non pertinerent, ab iis enim respui non possent, nisi ad ipsos etiam pertingerent. Sed ipsum mediorum salutis omnium pertinax repudium formalis est causa ac immediata, cur peccatum in Spiritum S. nequeat remitti, sicuti morbus demùm negativè incurabilis evadit, si omnia respuas remedia. *vid. Photii Epist. CXXVII f. m. 167. Æ. Hunn. III. f. 271. IV. f. 896. b. Franz. Vindic. Disp. adverſ. Schmalz. Disp. X. §. 56. J. Muſæ. de Pœnit. 442. 690.*

QUÆSTIO XLII.

An Beatitudo in hanc cadat vitam?

IN excessu peccarunt tum veteres philosophi tum recentiores fanatici, Keith & alii qui viatori beatitudinem tribuerunt consummatam, sed mors singulis imposuit silentium, quin & Scriptura passim contradicit. Joh. I. 18. VI. 46. 1. Cor. XIII. 12. 2. Cor. V. v. 7. 1. Tim. I. 17. VI. 15. 16. *Tantus superbiæ stupor est in his hominibus*, inquit & Augustinus, *hic se habere finem boni & à seipsis fieri beatos putantibus, ut sapiens eorum, hoc est, qualem mirabili vanitate describunt, etiamsi excoecetur, obsurdescat, obmutescat, membris debilitetur, doloribus crucietur: & siquid aliud cogitari potest, incidat in eum, quo sibi mortem cogatur inferre:*

hanc

hanc in his malis vitam constitutam eos non pudeat beatam vocare. O vitam beatam, quæ ut finiatur, mortis quærit auxilium. Si beata est, maneatur in eâ: si verò propter ista mala fugitur ab eâ, quomodo est beata? aut quomodo ista non sunt mala, quæ vincunt fortitudinis bonum? eandemque fortitudinem non solùm sibi cedere verum etiam delirare compellunt, ut & eandem vitam dicant beatam & persuadeant esse fugiendam. Quis usque adeò cœcus est, ut non videat, quæsi beata esset, fugienda non esset? sed si propter infirmitatis pondus, quâ premitur, hanc fugiendam fatentur, quid igitur causæ est, cur non etiam miseram fractâ superbiæ cervice fateantur? Utrum obsecro Cato ille patientiâ an potiùs impatientiâ se peremit? Non enim hoc feciſſet, niſi victoriam Cæsaris impatienter tuliſſet. De Civ. Dei L. XIX. c. 4. T. V. f. m. 150. Deus quidem nec per ænigmata somniorum nec per figuras visionum, ut cum prophetis minoribus, N. XII. 6. 7. 8. sed à facie (humanâ ad tempus assumtâ) ad faciem, ut amicus cum amico, cum Mose contulit Ex XXXIII. v. 11. essentiæ tamen immediatè obtuendæ copiam nunquam fecit, sed & petenti potiùs denegavit, respondens: Non poteris videre faciem meam, nemo enim videbit me, ac vivet, à posteriori me videbis, meam verò faciem videre non poteris, v. 18. 20. 23. Deindè quos Deus justificavit, hoc & ἐδόξασε, Rom. VIII. 30. nondum tamen consummatè, sed tantùm inchoativè, 2. Cor. III. 18. *vid. Disp. Gieſs. T. VII. p. 140.*

In defectu autem peccarunt J. Pistorius ac S. Episcopius, qui Tom. II. f. 285. vix aliquid præter spem boni demùm futuri in hâc vitâ agnoscit. Verùm

enimverò etsi liberatio quamsperamus, adhuc sit futura, 1. Joh. III. 2. primitias tamen spiritûs jamjam habemus. Rom. VIII. 23. 24 *vid. Menz. Tom. II. p. 1641. a.*

Nos itaque viam ingressi mediam Fidelibus in hâc vitâ Beatitudinem tribuimus nondum consummatam aut glorioſam, inchoatam tamen, eamque veram. Audiunt enim jamjam beati: Matth. V. 3. 11. XVI. v. 17. Luc. I. 45. VI. 20. XI. 28. Joh. XIII. 17. XX. v. 29. Rom. IV. 7. 8. 1. Petr. IV. v. 14. Jac. I. v. 25. Ap. I. 3. XVI. 15. XXII. 7. 14. θείας κοινωνοὶ φύσεως. 2. Petr. I. 4. & σεσωσμένοι. Eph. II. 5. 8. quos DEUS ἔσωσε. Tit. III. 5. unde fidelis vitam æternam ἔχει jam habet. Joh. III. 36. V. 24. VI. 40. 47. 54. XVII. 3. 1. Joh. V. 12. 13. 20. Quid multis? Quotquot verè credunt, jam cognoscunt ex parte 1. XIII. 9. 12. jam gustant virtutes futuri seculi, Ebr. VI. 5. jamjam habent Spiritûs primitias, Rom. VIII. 23. & arrhabonem 2. Cor. V. 5. Eph. I. 14. Uti itaque substantialiter nec arrhabo ac integrum pretium; nec primitiæ ac plena messis; nec promulsis ac plenum epulum; nec pars ac totum differunt, ita & Beatitudo inchoata hujus vitæ vera est, nec essentialiter differt à consummatâ *Quicquid olim præparavit ac inchoavit Gratia*, ità scitè Bernhardus, *tum absolvet ac perficiet Gloria.* Nec alia mens Theologorum fuit quoque Tubingensium, sic enim B. D. **Keller** statuit: Act. XV. 11. *Verbum σωθῆναι Apostolo usurpatum non notare tantùm statum gloriæ, sive perfectam fruitionem consummatæ beatitudinis post hanc vitam, sed & præsentis vitæ, gratiæ statum, in quem positus per fidem in Christum peccator, abolitis offensis, placa-*

placatum habet Deum, fruitur sensu pacis divinæ, effusæque charitatis in corde suo, Rom. III. 1. 5. testimonii item interni Spiritûs Sancti de υἱοθεσίᾳ illâ omnium amplissimâ, de quâ Rom. VIII. 16. atque sic verè primitias atque promulsidem futuræ felicitatis jam in hâc vitâ delibat, vel, ut potiùs cum Apostolo loquamur, gustat impræsentiarum donum cœleste & particeps factus est Spiritûs S. & gustat bonum Dei verbum virtutesque seculi futuri. Eb. VI. 4. 5. Estque hæc causa, quare perhibeantur jam in hac mortalitate fideles gratiâ salvati. Eph. II. 5. salvati spe. Rom. VIII. v. 24. &c. hinc etiam utrumque beneficium & justificationis & salvationis nexu firmissimo & indissolubili cohæret, nec ab illâ potest hæc separari & divelli, Rom. VIII. 30. Quos justificavit, hos glorificavit. Joh. III. 36. qui credit, jam habet vitam æternam. ἤδη enim præsentis temporis hîc subintelligendum esse patet ex opposito v. 18. Qui non credit, ἤδη κέκριται. Eph. II. 5. 6. Deus nos cum Christo vivificavit & simul residere fecit cum eo inter cœlestes; Joh. V. 24. Qui in me credit, habet vitam æternam, nec venit in judicium, sed jam transivit (μεταβέβηκεν) ex morte in vitam. Vitam verò pro vitâ gloriæ sumi, ostendit opposita condemnatio. Hanc tantamque salutem Veteris T. Fidelibus in hâc etiam vitâ obtigisse per Christum probat ipsum τῆ σωθῆναι tempus, quod est aoristus primus infinitivi modi, cujus ordinaria significatio est præteriti temporis. d. Remiss. peccat. in V. T. §. XV. p. 11. Nec tamen brabeum (perfectum) ante victoriam (consummatam) statuimus, sed hoc est Manna illud absconditum vincentibus promissum, Apoc. II. 17. quod quamvis plenè gustandum triumphantibus in cœlo repositum sit, interim tamen

strenuè militantibus etiam prægustandum præbetur, ut & hîc certiùs vincant, & post victoriam iterum animosiùs pugnent, dum victoria & pugna semper alternantur; Hactenus Ursinus Lib. IV. Melet. p. 463. Nunc quidem cernimus (non ἐν ἐσόπτρῳ, quæ phrasis Jacobi c. 23. sed) δι' ἐσόπτρου, tunc autem ad faciem, 1. Cor. XIII. 12. *Nondum tamen evictum, visionem ocularem à speculari specie differre*; inquit acutissimus Dannenhauer in HodoS. p. 1404. & HodoM. Pap. P. II. p. 160. Nec nos concipere possumus, quî mediatum ac immediatum statim differat essentiâ, quam causa tamen organica (utpote extrinseca) non ingreditur? Quî visio mediata seu oculo armato facta, quando seu transennâ seu dioptrâ qualicunque remotâ, continuatur, mox à semetipsâ essentialiter differre incipiat? Quî diversus œconomiæ modus rem variet ipsam? Quis etiam conceptus rerum mediatos adeò elevet atque dicat, quòd intellectus mortalium intelligendo nihil tamen intelligat rerum ipsarum, sed solis ideis distineatur merisque speciebus, ceu visus in speculo, quod præterquam imagines reddit proprias specieque Dei vicariâ, quàm mens surrogat, longè exactiores? Quis denique nostrûm asserere ausit, quòd in verbo ac sacramentis Christus non quoque ipsissimus præstò sit, sed nuda tantùm ipsius species, inanis umbra corporis vacua terminet fidem? Posito etiam non concesso, fidem in viâ à visione in patriâ differre essentialiter, exinde tamen differentia pariter essentialis Beatitudinis in hâc vitâ inchoatæ & in alterâ consummatæ nondum resultat, uti subtilissimis Theologis

gis V. & N. Testamentum est unum essentiâ idemque etsi in illo sanguis fœderis pecorinus, in hoc Theandricus infinitis distent parasangis, adeoque essentialiter quoque differant. Quò redeunt & profundissimorum Theologorum ἀκριβατμοὶ Dorschei ac J. A. Osiandri, quorum ille ad Concil. Nicen. d. Cœnâ p. 180. respondet: *per speculum & ænigma in N. T. videre dicimur, non propter cognitionis modum per typum & umbram, sed propter cognitionis gradum, qui est inter fidem & claram visionem.* Hic verò noster Part. V. Colleg. System. p. 339. sequentia reponit: α *Visio Dei principaliter considerata consistit in intellectu, si autem imago divina restauratur in hâc vitâ, etiam in intellectu & quidem primùm, non simpliciter visio Dei deneganda homini est in statu viæ.* β *Paulus visionem Dei in hâc vitâ inchoare disertè docet, quando 2. Cor. III. v. 18. dicit: nunc in nobis sese pandit claritas Domini retectâ facie & clarificamur & transformamur in illâ imagine de claritate in claritatem. Visionis itaque beatificæ initium asserit Paulus jam in hâc vitâ; & ne speciè diversam visionem subsecuturam esse opinemur, prævenit, asserendo identitatem imaginis, sub graduum intensione.* γ. *Modus non variat rem, sed sub diversitate idem supponit.* 2. *Beatitudo dupliciter accipitur, aut in quantum dicit summum illud in beatitudine & principale; aut in quantum dicit essentiale & formale beatitudinis, priori modo beatitudo consistit in visione Dei, illâ scilicet, quam expectamus, posteriori autem modo non in illâ visione consistit, quam expectamus. Confer sis & Amesii Cas. Consc. Lib. II. c. 13. de primitiis Glorificationis. p. 78. 79.*

QUÆ-

QUÆSTIO XLIII.

Regnumne millenarium, quode Ap. XX. 4. jam pridem præterierit, an verò adhuc instet?

SI millenarium ligationis Satanæ, quod cum regno millenario coincidit, Ap. XX. 3. 4. jam pridem est elapsum, & hoc ipsum regnum præteriisse liquet. Atqui diabolo sub Constantino M. circa A. CCCVIII. frenum fuit injectum, ut gentes contra Ecclesiam tàm diù, tàm latè & impunè ac in X. illis persecutionibus trium anteriorum seculorum excire nequiverit, usque ad A. MCCCVIII. ubi Satan iterum solutus Ecclesiam per regnum Ottomanicum affligere cœpit. E. regnum id millenarium dudùm effluxit, nec ampliùs expectandum est, sed tempora potiùs futura subinde difficiliora erunt, Matth. XXIV. 22. 23. Luc. XXI. 26. rarescet enim fides, Luc. XVIII. 8. charitas frigescet, Matth. XXIV. 12. infelix è contrario lolium, Matth. XIII. 30. & steriles avenæ hypocriseos, 2. Tim. III. 1. 2. 5. carnalisque securitatis prædominabuntur, ut in diebus Noæ, Matth. XXIV. 17. 33. Denique per multas tribulationes Regnum cœlorum oportet adiri, Act. XIV. 22. Quæ omnia & singula ab expectatione seculi aurei sunt quàm alieniſſima. Nec ex auro Colossi pedes fuerunt sed potiùs ex ferro, Dan. II. 33. sic tempora quoque ultima

tima ferrea potiùs erunt quam aurea. Quodsi tamen regnum aliquod Chiliasticum adhuc seculi consummationem esset antegressurum, dies novissimus necadeò incognitus foret, ut dicitur, Matth. XXIV. 36 Marc. XIII. 32. 35 Act. I. 7. nec adeò propinquus, ut traditur. 1. Cor. X. 11. I. Pet. IV. 7. Jac. V. 8. 1. Joh. II. 18. nec gentes à Satanâ iterum soluto seducendæ amplius supercessent, quod tamen innuitur v. 7. & 8. completisque omnibus judicii extremi signis, e. g. jamjam factâ Antichristi patefactione, 2. Thess. II. 3. quartæque Monarchiæ infirmatione, Dan. II. 31. 41. finis tamen nondum imminerer, quod absonum. Quamvis verò regnum millenarium delineetur demùm post damnationem Antichristi, utpote jam c. XIX. descriptam, inde tamen non sequitur, ordine temporis hâc illud non esse prius. Quod enim Johannes scribit: καὶ εἶδον non μετὰ ταῦτα *post hæc vidi*; satis arguit ordinem non eventuum, sed tantùm visionum. Nec semper posteriori tempore evenit, quod posteriori loco enarratur, sed prolepsis in libris præsertim propheticis valde frequens est. Quis nescit ratione temporis priora fuisse, quæ de Cyro enarrat Jesaias c. XLV. iis, quæ de nascituro præmixit Messiâ c. VII. VIII. IX. 2. & tamen ordine recensionis hæc illis sunt priora. Sic & Apoc. XIX. Bestia conjicitur in stagnum infernale, & tamen c. XX. bestia, quam fideles non adorant, adhuc supersest. Anticipatio utique est manifesta, uti & Jer. I. 3. XXI. 1. XXVI. 1. XXVII. 1. 12. XXVIII. 1. & XXXV.

v. 11. ubi Belgæ observant, haudquaquam in vaticiniis ordinem temporum semper inveniri. *vid. & Glass. p. m. 925. & seq.*

QUÆSTIO XLIV.

An animæ justorum separatæ in statu quodam divertant intermedio, antequam cœlestem adire Hierosolymam contingit?

NEutiquam. Mortem enim fidelium excipere nihil nisi vita legitur æterna, Joh. V. 24. inque Domino morientes nuncupantur spiritus τετελειωμένοι Eb. XII. 23. & ἀπάρχη beati, Ap. XIX. 13. dum quippe tabernaculum corporis solvitur, jam habemus tabernaculum in cœlis æternum, 2. Cor. V. 1. Imò, *dissolvi & esse cum Christo* sunt conjunctissima, Phil. I. 23. nec non *peregrinari à corpore & habitare apud Dominum* immediatè cohærent, 2. Cor. V. 8. uti anima conversi quoque latronis ipso statim ἀναλύσεως die cum Christo fuit in paradiso, Luc. XXIII. 43. Nec Lazari anima ab Angelis in sinum intercalarem deportata sed mox in Abrahæ gremium evecta fuit, uti epulonis vicissim in inferno immediatè appulit, Luc. XVI. 22. 23. Nec quos dies novissimus deprehendet vivos, abripi in diverticula finges, cum non nisi Domino obvios, cumque eo mox futuros legas, 1. Thess. 17. unde Augustinus:

Nec

Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo; L. 1. d. pecc. merit. & remiss. c. 28. T. VII. f. m. 680. Fatemur quidem nihil polluti intraturum cœlos, Apoc. XXI 27. inde tamen non statim intercapedo purgatoria conditur, sed, quia cœlos non nisi mundi & ἀπάρῃ quidem post fata intrant, hoc potiùs evincitur, fidelem jam in ipsâ statim morte labis omnis expertem evadere, unde mortuus audit etiam à peccato justificatus liberque à corpore peccati, Rom. VI. 7. VII. 24. per Christum sc. Hic enim purgationem peccatorum nostrorum confecit per semetipsum, Eb. 1. 3. adeoque non per novum demùm purgatorium. Si verò is peccatorum tantummodo reatum luisset, labem tali purgatorio abolendam relinquens, unâ oblatione consummasse eos in æternum, qui sanctificantur, falsò diceretur Eb. X. 14. Sanctificatio quippe s. renovatio fit *de die in diem*, adeoque non demùm in purgatorio aliquo, sed maturiùs in ipsâ dissolutione s. *die* statim cujusvis sancti novissimo ac emortuali perficitur, 2. Cor. IV. 16. Hinc & Epiphanius: *In nobis non est extirpare perfectè pravitatis radicem, verùm non in extensionem sinere excrescere ac fructificare. Nam universalis & perfecta radicum ipsius sublatio ac interitus fit per corporis dissolutionem. Hæres. ult. L. II. T. I. f. m. 459.* His opponi solita Scripturæ loca quàm non probant Pontificiorum purgatorium, tam nec suadent quodcunque aliud. Non *ignis* Mal. III. 2., is enim Christus dicitur. Nec *carcer* irreconciliabilium, Matth. V. 26. spectat ad sanctos,

sed ipsa est gehenna. Denique 1. Cor. III. 11. 15. Architecti sunt soli Doctores, nec notant omnes fideles, nec dies aut ignis piorum personas probat sed doctrinas tantùm ac labores, quorum, si inanes sunt, illi patiuntur damnum, at quodnam anima damnum capit, quando peccati labes adimitur? Quod hoc post hanc demùm vitam consequatur, nullum in textu docet vestigium, sed contrarium potiùs præsens ἀποκαλύπτεται suadet. v. 13.

QUÆSTIO XLV.

An pœnæ damnatorum æternæ sint, inque omne ævum sine fine duraturæ?

HObbesio quidem nimis durum videtur, de Deo dicere (qui Pater est misericordiarum) quòd peccata hominum cruciatibus extremis & sine fine temporis punire velit, unde *æternum* ipse per *usque ad finem seculi* exponit, *in Leviath. p. m. 300.* quem hodie alii sequuntur, quibus Divinæ & justitiæ contrarium videtur, culpam finitam, quæ uno sæpe actu eoque momentaneo ac transitorio contrahitur, pœnâ tamen infinitâ vindicare ac æternâ. *Sed pœna æterna ideò dura & injusta sensibus videtur humanis*, scribit Augustinus *L. XXI. d. C. D. T. V. c. 12. f. m. 1293. quia in hâc infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimæ purissimæque sapientiæ, quò sentiri possit, quantum nefas in illâ primâ prævaricatione*

catione commissum sit. Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto majore impietate dereliquit Deum & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum. Ne in humanis quidem qualitas delicti & atrocitas ex temporis morâ, in quâ fuit commissum, æstimatur, ut iterum Augustinus *libr. ejusd. c. 11. f. 1291. Quidam eorum, contra quos defendimus civitatem Dei, injustum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis parvo se tempore perpetratis pœnâ quisque damnetur æternâ, quasi ullius id unquam justitia legis attendat, ut tantâ morâ temporis quisque puniatur, admisit. Octo genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. Quid horum est, quod in breve tempus cujusque pro peccati celeritate coarctetur, ut tantâ vindicetur morulâ, quantâ deprehenditur perpetratum, nisi fortè talio? Quid in vinculis? Numquid ibi tam diu quisque judicandus est esse debere, quamdiu fecit, unde meruit alligari, cùm justissimè annosas pœnas servus in compedibus pendat, qui verbo aut ictu celerrimè transeunte vel lacessivit Dominum vel plagavit? Jam verò damnum, ignominia, exilium & servitus, cùm plerumque sic infliguntur, ut nullâ veniâ relaxentur, nonne pro hujus vita modo similia pœnis videntur æternis? ideò quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum & tamen peccata, quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, brevissimo tempore perpetrantur, nec quisquam extitit qui censuerit tam citò nocentium finienda esse tormenta,*

quàm citò factum eſt vel homicidium vel adulterium vel ſacrilegium, vel quodlibet aliud ſcelus non temporis longitudine, ſed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum &c. Peccatum itaque etſi ictu oculi abſolvatur, reatum tamen infert infinitum, quòd in Deum impingit infinitum. Enimverò homo per id fine excidit ultimo, ſummo quippe Bono, Gratiâ Dei & merito Chriſti, quod infiniti valoris, amittit Spiritum S. àque vita æternâ longiùs avertitur. Hinc irreparabile damnum demeritumque infinitum, quod autem malo, cum aliter fieri nequeat, minimùm durationeinfinito utcunque plecti intelligitur. Hinc tot tamque emphatica nomina, ut dicatur hæc pœna, æternus interitus, 2. Theſſ. c. I. 9. æternus cruciatus, Ap. XIV. 11. XX. 10. æterna ignominia, Dan. XII. 2. æterna caligo, 2. Pet. c. II. 17. Jud. v. 13. æterna vincula, v. 6. æternus ignis, Jeſ. XXXIV. 10. Matth. III. 12. XVIII. 8. XXV. 41. 46. Jud. v. 7 qui non extinguitur, Marc. IX. 45. 46. Hinc ipſe etiam Taulerus: *Cùm damnati æternam repudiaverint dulcedinem, juſtè ad æternam devolvuntur amaritudinem.* Lignum certè in quamcunque ceciderit plagam ſ. Auſtrum ſ. Aquilonem, ibi erit Coh. XI. 3. Nec arbores malæ fructus ferent bonos demùm in inferno, Matth. VII. 18. Pſ. VI. 6. Jeſ. c. XXXVIII. 18. ubi nec opus, nec meditatio, nec induſtria, Coh. IX. 5. 10. Nec poſt diem ſalutis, 2. Cor. VI. 2. & converſionis Gal. VI. 10. Eb. VI. 4. locum pœnitentiæ, Eb. VI. 4. 5. 6. hoſtia Eb. X. 26. (nedum in diabolis Eb. II. 16.) vel preces, Matth.

c. XXV.

c. XXV. 11. 12. I. Joh. V. 16. nec liberatio Pſ. L. 22. ampliùs habebunt, ſed janua Gratiæ clauſa, Matth. c. XXV. 10. & debitum erit irremiſſibile, Matth. c. XII. 32. Quis enim ex damnatis ultimum ſolvat quadrantem, quorum ſolvendo nullus? Matth. V. 26. omnes inde manere in inferno oportebit, Pſ. LI. ℣. 15. Tantum quoque chaſma cœlum inter ac infernum intercedit, ut exitus utrinque ſit impoſſibilis, Luc. XVI. 26. Uti itaque vita eſt æterna & neſcia finis, quæ fidelibus cedit ex infinitâ Dei gratiâ, ſic pœna quoque eſt æterna, quam infidelibus æterna ejus dictat juſtitia, Dan. XII. 2. Matth. XXV. 46 2 Theſſ. I. 6. 9. Si verò & damnatis contingeret ſedes adire beatas, Judæ non eſſet melius non fuiſſe natum, contra Matth. XXVI. 24. nec adeò pauci ſalvarentur, contra Matth. VII. 14. XX. 16. Luc. XIII. v. 25. 24. ſed omnes eſſent electi libroque vitæ inſcripti; ità ut ingens omnium quoque damnatorum multitudo in mediâ gehennâ jubilare tamen poſſet & æq; ac puſillus Eccleſiæ militantis grex dicere: τῇ ἐλπίδι ἐσώθημεν, Rom. VIII. 24. Verumenimverò novum ejusmodi Evangelium eſt oppidò ſcandaloſum, viamque omni impietati ſternit latiſſimam, ſpem enim facit, quam filii ſeculi ambabus arripiunt inque omnia dein ſcelera ac flagitia ſecuriùs ruunt, omninò perſuaſi, ſiquidem verum ſit dari infernum, ex eo tamen dari & regreſſum. Hinc non tantùm Articulus XVII. A. C. *Chriſtus impios homines condemnabit, ut ſine fine crucientur*; ſed noſtri ibidem etiam *Damnant Anabaptiſtas, qui ſentiunt hominibus damnatis ac diabolis finem pœna-*

pœnarum futurum esse p. 14. Interim quidem *nullus est Misericordiæ Divinæ finis.* Psal. LXXVII. 8. 9. sed erga vasa tantùm Misericordiæ, pios puta, de quibus integer quippe Psalmus agit, neutiquam verò erga vasa iræ s. impios ac damnatos, super hos enim Dei potiùs ira manet, Joh. III. 36. Jac. II. 13. Nec Evangelium quod vocant æternum suffulcit Prosopopœia, Ap. XX. 14. *Stagnum ignis* enim *in quod infernus* i. e. omnis reprobus *præcipitatur*, non est τῆς annihilationis, sed æternaturæ potiùs afflictionis v. 10. Nec Act. III. 21. Ἀποκατάστασις promittitur absolutè *omnium*, sed eorum tantùm *quæ Deus locutus est*, restitutionem damnatorum autem nullibi est pollicitus. Promisit quidem *redemtionem ex morte ac inferno*, Hos. XIII. 14. sed tantùm Israeli spirituali, i. e. (Paulo interprete 1. Cor. XV. v. 54. 55. Ebr. II. 14. 15.) piorum resuscitationem ex statu mortuorum, qui nomine inferni & alibi venit. Gen. XXXVII. 35. Innuit etiam Zach. IX. 11. *ductum* quidem, nec tamen præcisè post resurrectionem futurum *victorum suorum*, adeoque non præcisè animarum damnatarum, sed suppositorum *è cisternâ* ἀνύδρῳ unâ, adeoque non ex duobus purgatoriis, quot hodiè finguntur. *Innovat* quidem *omnia*, non tamen in gehennâ, sed in Ecclesiâ, Ap. XXI. 5. coll. 3. uti & *Salvator* quidem *omnium* est, quoad salutis acquisitionem, *maximè verò fidelium* quoad ejus & applicationem, 1. Tim. IV. 10. Sed quid hoc pro infidelium reductione ex gehennâ, pro quibus nequidem intercedet amplius? Nec *evangelizatum est mortuis*, 1. Pet. IV. 6. nisi spiritualiter talibus, seu per lethales carnis

il. e.

illecebras vitâ ſpirituali defunctis, v. 3. conf. Luc. IX. v. 60. XV. 24. 32. Rom. VI. 13. VII. 24. Eph. II. 5. V. 14. Col. II. 13. 1. Tim. V. 6. 1. Joh. III. 14. Ap. III. v. 1. aliàs in carne judicari non potuiſſent, niſi in carne adhuc fuiſſent. Longè aliter iis verò, qui vitâ quoque naturali functi & jam actu in carcere infernali ſunt, prædicavit Chriſtus redivivus, 1. Petr. III. v. 19. realiter ſc. atque legaliter, quibus ſenſibus vox κηρύσσειν paſſim obvia, Act. XV. 21. Rom. II. 21. 1. Cor. IX. v. 27. Gal. V. 11. Denique ex phraſi illâ: εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ap. XIV. 11. XX. 10. unde etiam infernalium cruciatuum æternitatem demonſtravimus ſuprà p. 110. æternitas tantùm periodica adeò non exſculpi poteſt, ut omnia potiùs reliqua loca, in quibus phraſis illa occurrit, æternitatem propriam, abſolutam finisque neſciam loquantur. Gal. I. 5. Eph. III. v. 21. Phil. VI. v. 20. IV. 20. 2. Tim. IV. 18. Eb. I. v. 8. XIII. 21. 1. Pet. IV. 11. V. 11. Apoc. I. 6. 18. IV. v. 9. V. 13. 14. VII. 12. X. 6. XI. 15. XV. 7. confer. & 1. Par. XVII. 36. Neh. IX. 5. Pſ. XC. 2. CVI. 48. Dan. II. 20. Syr. XLII. 21. *vid. Feſſel Adverſ. T. I. p. 230. 231. & Glaſſ. Ph. S. p. m. 415.*

ADDITAMENTUM.

Ad Quæſtionem XII.

QUantum ex 1. Cor. X. 16. 17. relucet, unio convivarum inter ſe non conſtituit, ſed ſubſequi-

tur demùm admirabilem illam in S. cœnâ materiæ cœlestis ac terrestris κοινωνίαν ab institutione ipsius quippe Dei pendulam, quam hominum (hospitum) dissidium dirimere nequit, quale nec à primâ fuit cœnâ adeò alienum. Etsi etiam ante illam non tantùm contentionem sed & sacramenti institutionem Judas elapsus fuisset, de Agno tamen paschali comederat, quo solo manducatio indignorum nihilominus sarta manet atque integra. Interim nec ex Proditoris titulis nudisque vocibus exsculpi potest, ipsum cœnæ primæ non interfuisse, quia & *Sathan* Joh. VI. 70. audierit, & *filius perditionis*, Joh. c. XVII. 12. æquè ac Antichristus 2. Tess. II. 3. Satan enim & Petrus audiverat, Matth. XVI. 23. ob id tamen à cœnâ nôn excluſus. Deinde Judas fuit filius perditionis in primâ cœnâ nondum patefactus, ut Antichristus hodiè filius perditionis est & homo peccati & ὁ ἀνθρωπος compertus, & tamen subinde communicat (in judicium) Ejusmodi enim notoriè indigni ad cœnam quidem admittendi non sunt, admissi tamen omnes tam aperti, quàm operti præter symbola, etiam corpus Christi atque sanguinem verè accipiunt, illorum aliàs edendo ac bibendo non fient rei, quod demonstravimus supra

p. 26.

(o)

Elen-

Elenchus atque Series

QUÆSTIONUM.

Q. I.

LIbri noſtri Symbolici an divini ſint & norma Religionis? pag. 3.

II. An in libris noſtris ſymbolicis appareant errores? p. 6.

III. An in hominem quoque irregenitum notitia verbi ac Myſteriorum cadat ſpiritualis? p. 8.

IV. An Convictio interna, quam unus & alterhodie jactat, principium commune ſit & ἀναντίρρητον, ſtringatque quemvis alium? p. 10.

V. An ſtudia in ſacris, impedimento ſint, ideoque exſudanda? p. 12.

VI. An Baptiſmus Aquæ ſit efficax ac neceſſarius? p. 14.

VII. An Baptiſmus ad Infantes quoque ſpectet? p. 16.

VIII. Uſus S. Cœnæ ſitne ritus tantùm indifferens, qui liberè negligi queat, an Sacramentum N. Teſtamenti neceſſarium? p. 20.

IX. An Eccleſiis Aug. Confeſſionis Cœna ſit vera? p. 21.

X. An adminiſtratio Cœnæ permittenda ſit Laicis? p. 22.

XI. An adminiſtrare uni tantùm cœnam in privatis ædibus fas ſit? p. 24.

XII. An corporis ac sanguinis Dominici substantiam indigni etiam percipiant? p. 25.
XIII. An Justificatio peccatoris in foro divino solâ Justitiæ alienæ imputatione absolvatur? p. 28.
XIV. An Christus non quà extra nos passus proque nobis mortuus; sed quà nobis per fidem inexistens sit consummatus demùm Salvator, qui peccatores justificat? p. 30.
XV. An renati ad summum perfectionis apicem, pertingere in hâc vitâ queant, ut jamjam sint ἀναμάρτητοι? p. 33.
XVI. An renatus legem servare quin & implere queat? p. 38.
XVII. An pars pœnitentiæ tertia sit nova obedientia, uti Socinianis visum, vel ut hodiè alii malunt, immutatio cordis? p. 40.
XVIII. An Ecclesiam plantatam inter ac plantandam rectè distinguatur? p. 42.
XIX. An nullus visibilis vocatorum cœtus Ecclesia Dei vera sit? p. 43.
XX. An Dilectio proximi genuina Ecclesiæ nota sit? p. 45.
XXI. An omnes apud nos status adeò corrupti sint, ut universa A. C. Ecclesia nihil nisi Babel sit? p. 46.
XXII. An ordinationes Ecclesiæ nostræ libertatem Christianam, quin & conscientiæ sufflaminent? p. 49.
XXIII. An Conventus Ecclesiæ publici sint necessarii, necullus privatus sit tolerandus? p. 51.
XXIV. An à publico Ecclesiæ conventu sacrâque synaxi fas sit se separare? p. 54.

XXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854354744/phys_0122
DFG

QUÆSTIONUM.

XXV. An Absolutio à Ministro facta sit glaucoma tantùm, impostura merumque falsimonium? p. 62.
XXVI. An Confessio peccatorum coràm Ecclesiæ Ministro privata sit eliminanda? p. 59.
XXVII. An Festa, Vestimenta, vasa &c. Ecclesiæ sacra sint hodiè vetita? p. 64
XXVIII. An cujusvis promiscuè sit ordinarias Ministerii Ecclesiastici involare partes, peculiaremve illæ in Ecclesiâ ordinem evincant atque statum? p. 66.
XXIX. An ad Ministerium publicum vocatio interna sufficiat? p. 68.
XXX. An Ministri Ecclesiæ rectè salutentur Magistratus Ecclesiasticus? p. 69.
XXXI. An ipsum hominis irregeniti Ministerium sit inefficax? p. 70.
XXXII. An Ministri ex Auditorii qualitate dijudicari queant, regenitine sint, nec ne? p. 75.
XXXIII. An Magistratui Politico in Testamento etiam Novo cura Religionis competat? p. 77.
XXXIV. An ad veram fidem vi quis externâ cogi possit? p. 85.
XXXV. An hæretici sint morte plectendi? p. 85,
XXXVI. Docendine libertinismus sit tolerandus, an infrena quidvis credendi ac disseminandi libido minimùm injunctâ emigratione sit compescenda? p. 87.
XXXVII. An benedictio Neogamorum Ecclesiastica sit necessaria? p. 91.
XXXVIII. An certis precum formulis uti conveniat? p. 92.
XXXIX. An ad recitatum nomen Jesu aperire caput oleat superstitionem? p. 94.
XL. An convivium agere aut inire pietati officiat bonisq; moribus? p. 96.
XLI. An omne peccatum sit remissibile? p. 97.
XLII. An Beatitudo in hanc cadat vitam? p. 98.

XLIII.

XLIII. Regnumne millenarium, quode Apoc. XX. 4. jam pridem præterierit, an verò adhuc instet? p. 104.
XLIV. An animæ justorum separatæ in statu quodam divertant intermedio, antequam cœlestem adire Hierosolymam contingit? p. 106.
XLV. An pœnæ damnatorum æternæ sint, inque omne ævum fine fine duraturæ? p. 108.

Syllabus Dictorum SS. profundiùs excussorum.

Exod. IV. 25. p. 71. XIX. 6. p. 66.
Num. XXIV. 4. p. 9. 71.
Psalm. XXXII. 3. 4. 5. LI. 6. p. 61.
LXXVII. 8. 9. p. 112.
Jes. LXI 6. p. 66.
Jer. XXIII. 22. p. 76. v. 28. p. 13.
Ez. XX. 25. p. 8. XXII. 4. 37 p. 44.
XXIII. 37. p. 71.
Dan. II. 31. 41. p. 105. v. 33 p. 104.
Hos. XIII. 14. p. 112.
Zach. I. 12. p. 8. IX. 11. p. 112.
Mal III. 2. p. 107.
Matth. V. 11. p. 6. v. 26. p. 111.
VII. 16. 17. p. 73. v. 22.
p. 9. XV. 14. p. 9.
XVIII. 2. p. 19. v. 18. p. 63.
XIX. 14. p. 19.
XXIII. 25. 30. 31. 32. p. 3.
XXVI. 23. p. 27.
XXVIII. 29. 30. p. 17.
Marc. IV. 28. p. 9. X. 14. 15. 16. p. 19.
XIV. 23. p. 26.
Luc. V. 21. p. 62. XII. 47. p. 9.
XVIII. 15. 16. p. 19. XXII. 21. p. 26.
Joh. III. 5. p. 14. 17. IV. 12. 22.
23. p. 52.
VI. 70. p. 114.
X. 8. 10. p. 73. XI. 50. p. 75.
XIII. 17. p. 9. v. 30. p. 27.
XIV. 17. p. 9. XVII. 12. p. 114.
Act. II. 38. 39. p. 18. III. 21. p. 112.
Rom. I. 5. p. 40. 41. VIII. 1. p. 31.
v. 30. p. 99.
XIII. 1. 2. p. 80. v. 8. p. 38.
1. Cor. I. 17. p. 16. II. 8. p. 74. III. 11.
15. p. 108.
X. 16. p. 25. v. 20. p. 25. v. 21.
p. 27.
XI. 28. p. 57. v. 29. p. 26.
XIII. 2. p. 9. v. 12. p. 98. 102.
XIV. 29. p. 4.
2. Cor. IV. 16. p. 107. VI. 14. p. 57.
XII. 9. p. 34.
Gal. III. 1. p. 31.
Eph. II. 14. p. 5.
Phi. IV. 13. p. 39.
Col. I. 9. p. 9. v. 28. p. 35.
II. 8. p. 14.
1. Tim. II. 2. p. 77. IV. 10. p. 112.
Tit. I. 15. p. 75.
Heb. I. 3. p. 107. VI. 6. p. 31.
1. Pet. II. 9. p. 66. III. 19. p. 113.
1. Pet. IV. 6. p. 112.
1. Joh. I. 9. 10. p. 61.
II. 3. 4. p. 74. v. 27. p. 67.
III. 6. p. 74. v. 23. p. 40.
V. 3. p. 39.
Ap. I. 6. p. 66. III. 1. p. 44. V. 10.
p. 66. XIV. 13. p. 106. XVII. 5.
p. 47. XX. 4. p. 104. v. 10. p. 110.
v. 14. p. 112. XXI. 5. p. 112. v. 27.
p. 107.

FINIS

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854354744/phys_0124
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854354744/phys_0128
DFG

QUÆSTIONUM.

XXV. [illegible] à Ministro facta sit glaucoma tantùm [illegible] merumque falsimonium? p. 62.

XXVI. A[illegible] peccatorum coràm Ecclesiæ Ministr[illegible] minanda? p. 59.

XXVII. An [illegible] enta, vasa &c. Ecclesiæ sacra sint hod[illegible]

XXVIII. An c[illegible] cuè sit ordinarias Ministerii Ecclesia[illegible] urtes, peculiaremve illæ in Ecclesiâ ord[illegible] atque statum? p. 66.

XXIX. An ad M[illegible] licum vocatio interna sufficiat? p. 68.

XXX. An Ministri E[illegible] lutentur Magistratus Ecclesiasticus[illegible]

XXXI. An ipsum homi[illegible] inisterinm sit inefficax? p. 70.

XXXII. An Ministri ex [illegible] tate dijudicari queant, regenitine sin[illegible] 5.

XXXIII. An Magistratui Pol[illegible] nento etiam Novo cura Religionis con[illegible]

XXXIV. An ad veram fidem vi[illegible] gi possit? p. 85.

XXXV. An hæretici sint morte p[illegible]

XXXVI. Docendine libertinismus s[illegible] in-frena quidvis credendi ac dissen[illegible] mi-nimùm injunctâ emigratione sit co[illegible] 7.

XXXVII. An benedictio Neogamoru[illegible] sit necessaria? p. 91.

XXXVIII. An certis precum formulis uti co[illegible]

XXXIX. An ad recitatum nomen Jesu aperi[illegible] leat superstitionem? p. 94.

XL. An convivium agere aut inire pietati officia[illegible] moribus? p. 96.

XLI. An omne peccatum sit remissibile? p. 97.

XLII. An Beatitudo in hanc cadat vitam? p. 98.

XL[illegible]

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854354744/phys_0129
DFG